Petri Borelli ... Historiarum, et observationum medicophysicarum, centuriae IV. In quibus non solum multa utilia, sed & rara, stupenda ac inaudita continentur / Accesserunt D. Isaaci Cattieri ... observationes medicinales rarae Dom. Borello communicatae: et Renati Cartesii vita eodem P. Borello authore. Quae omnia nunc primum in lucem prodeunt.

Contributors

Borel, Pierre, 1620?-1671.
Cattier, Isaac, active 1637-1665.

Publication/Creation

Parisiis : Apud Joannem Billaine ... et viduam Mathurini Dupuis ..., MDCLVI [1656]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/j83j8bae

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



E.XV.e

14634/A/27 Vol. 1

Dupl.
Part of
BORELLUS, P. Historiarum
... medicophysicarum,
centuriae IV. 1656.

67. B. 16 D 1512

ISAACI CATTIERII

IN CELEBERRIMA

MONSPELIENSIVM,

MEDICORVM VNIVERSITATE

Doctoris, & Medici Regij.

OBSERVATIONES MEDICINALES

PETRO BORELLO, *Medico*

Communicatæ.

PARISIIS.

M. DC. LVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Sailled 19/11/12

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

CLARISSIMO,

ET DOCTISSIMO MEDICO P. BORELLO MEDICO REGIO.

ISAACVS CATTIERVS, S. P. D.

RATVM est & indubitatum artem Medicam ratione & experientia duci, quæ duo sunt veluti crura quibus stat firma tota eius compages, atque structura: horum namque alterutrius ope si careat, vacillat; si vtriusque fulcro destituatur corruit, jacetque penitus iners & inutilis; Et quemadmodum ait Hippocrates lib. de Fracturis ὅλον τὸ ἄχθος τοῦ σώματος οἱ πόδες ὀχέουσιν, ita hæc duo sunt veluti columina, quibus hæc ars innititur, & stabilitur: siue duo sunt lumina, quorum alterutrius vsura orbatus qui amplissimum Medicinæ stadium percurrit, in multis salebris hæret, & periculis ineluctabilibus objicitur. Ἀμφιδέξιος debet esse qui hancce artem exercet, & vtroque hocce organo veluti bina manu ad agendum expedita instructus, qui ægrotanti ho-

mini ſuppetias laturus eſt. Artem primum experientia fecit, ratio vero deinde perfecit; nec enim eius theoremata atque dogmata, niſi ex variis obſeruationibus, & collectionibus fuere conſtituta; proinde Empiricorum ſecta omnium prima extitit, cuius ſectatores Philinum Coum Hippocratis conciuem, vel Acronem Agrigentinum Empedoclis diſcipulum authorem prædicant: Empedocles autem ſub Artaxerxe an. mundi 4753. & ante Chriſtum 439. vixit, quo tempore floruit etiam Hippocrates. Experientia primùm diæteticam inuenit vt teſtatur Hippocrates l. de veteri Medic. cum homines per ægritudines cibos mutantes iuuarentur, compertumque fuiſſet eos quibus ventriculus erat infirmior, ἀπὸ ἰσχυρῆς καὶ θηριώδους ἀγωγῆς *lædi; ſic & Galenus lib. de ſubfigur. empirica ſcribit. Primis temporibus vt credi par eſt noxia pariter & innoxia, ſimilique modo vtilia & inutilia obſeruari cœperunt, & ibidem. cum vnius hominis vita ad omnium inuentionem ſufficere nequeat, longi temporis obſeruationes hiſtoria colligit, vt eius beneficio tanquam ex multis tot ſæculorum hominibus, vnus efficiatur eruditiſsimus: dicitur autem experientia cognitio rerum ſingularium per vſum reperta, differtque ab arte quod hæc ſit rerum vniuerſalium; hancque eſſe cauſam ait Ariſtoteles propter quam*

experti id quod intendunt magis cõsequuntur, quam qui rationem sine experientia sequuntur, καὶ μᾶλλον ὑπὸ τυγχανόντας ὁρῶμεν τοὺς ἐμπείρους, τῶν ἄνευ τῆς ἐμπειρίας λόγον ἐχόντων. *& paulo infra subdit si quis rationẽ absq; experientia teneat, & vniuersale quidem cognoscat, quod autẽ in eo particulare est ignoret, sæpe numero à sanatione aberrabit: id .n. magis sanabile est, quod singulare est. Experientia, ex Galeno, eorum est quæ sæpius eodemque modo visa fuerunt obseruatio & memoria; addit vero lib. de subfigur. empir. forte præstaret solam ponere memoriam cum sub illa obseruatio contineatur; neque enim memorari possumus ea quæ sæpe eodem modo perspecta sunt, nisi prius illa obseruauerimus; nec potest comparari illa cognitio experimentalis, nisi factis pluribus obseruationibus circa singularia, triplicisque instrumenti beneficio, nim.* αὐτοψίᾳ *seu propria inspectione, historia seu aliorum relatione, & transitu ad simile, propterea ait ibidem Galenus, obseruatio memoriam, & memoria experientiam peperit, à qua ars proxime emanat. Plurimum igitur vtilitatis adferunt obseruationes in arte Medica, nec à Medico rationali contemnendæ veniunt: in morbis enim quorum causa latens atque abdita est, vel curatio difficilis, fluctuantem medentis animum erigunt, & à vero cura-*

tionis tramite ſæpe deflectentem dirigunt: harum auxilio progreſſus fit ad analogiſmum, dogmaticorum ſcilicet Medicorum, (qui propterea ἀναλογιστικοὶ dicuntur) rationem, qua ex re euidenti & ſenſibus manifeſta, deducuntur in alterius obſcuræ cognitionem; dumque morbi cauſa ignota eſt, & remedium non manifeſtè indicatur, coguntur à ſimilibus ad ſimilia tranſire: ſic hydrargyroſis luis venereæ extrema anchora, vltimumque præſidium, excogitata fuit atque inuenta, poſtquam obſeruauiſſent Medici hydrargyrum ſcabiem, vlceraque maligna ſæpius ſanare, quæ cætera remedia non poterant; cumque ſimiles affectus in lue venerea ſæpius contingentes animaduerterent, idem quoque remedium ad hunc morbum profligandum vſurpare poſtea decreuerunt. Aliter tamen ſe gerunt in hoc tranſitu ad ſimile dogmatici, quàm empirici: hi enim credunt tantùm iis, quæ vel ſenſui patent, vel memoriæ per ſenſum mandata ſunt, atque plurima indeterminate agunt, & plus æquo confidunt hiſtoriæ: dogmatici vero præter hæc, illis quoque quæ ex naturali rerum conſecutione per rationem acquiri ſolent, fidem adhibent, vt ait Gal. lib. de ſubfig. empirica: vtq; in vtriſq; ἡ τοῦ ὁμοίου μεταβασις diſtingueretur, factum eſt vt empiricorum diceretur epilogiſmus, ratio ſcilicet non recedens

ab his quæ sensibus percipiuntur, & manifesta sunt; dogmaticorum vero analogismus. Quàm diuersa ratione transitu ad simile vtantur Empirici, & rationales, præclare docet Galenus lib. de opt. Sect. ad Thrasybulum, aitque Empiricum Symptomatum omnium concursum obseruare, non secernendo vtilia ab inutilibus, & variante quocumque modo Symptomatum concursu, curationem quoque mutare: quæ curandi ratio non semper conuenit, quia aliquando mutanda est aliquando non: sic ἐμπροσθότονος & ὀπισθότονος licet diuersam habeant faciem, & symptomatum cateruam, eandem tamen curandi rationem obtinent: aliquando vero similis est prorsus symptomatum concursus, non tamen eadem competit curatio, veluti in sanguinis reiectione ex ruptione & erosione; proinde rationalis Medicus distinctione vtitur, atque vbi symptomatum concursus in aliquo inutili discrepat, curandi rationem non ideo immutat: vtilia autem symptomata sunt quæ desumũtur à causis, à locis affectis, & à virtute: ad hæc enim tria respiciens Medicus rationalis, etiam in morbo occulto semper remedium accommodatum virtute analogismi comperiet, auxilij quidem genus à causa, vtendi modum à loco, mensuram vero à virtute, ita vt causa eadem existente, loco vero & facultate diuersis idem remedij

genus insinuetur, sed mutetur vtendi ratio, & contra: egregie Galenus initio lib. 3. meth. medend. Empiricorum & dogmaticorũ discrimen vnâ cum experientiæ & rationis coniugij necessitate his verbis declarat οἱ μὲν οὖν ἐμπειρικοὶ δι' ἐμπειρίας εὑρίσκεσθαί πάντα φασιν. ἡμεῖς δὲ τὰ μὲν Ἐμπειρίᾳ, τὰ δὲ λόγῳ. μήτε γὰρ ἐκείνῳ ἱκανὸν εἶναι πάντα, μήτε μόνον εὑρίσκειν τὸν λόγον. Id est, Empirici quidem per experientiam inueniri omnia contendunt: nos partim experientia partim ratione: neque enim illa ad inuenienda omnia sufficiens est, vt neque sola ratio. Fallit sæpe experientia nisi ratione illustretur & corroboretur, propterea Seneca lib. 6. de beneficiis cap. 18. multos inquit fortuita sanant, nec ideo remedia sunt, & alicui in flumen cecidisse frigore magno causa sanitatis fuit, quomodo quorumdam flagellis quartana discussa est. Hæc ob oculos posui (Mi Borelle) vt quæ inter medendum sedulò à te annotata fuere & fideliter conscripta, veluti empirica & rationali Medico indigna non temere damnentur; nec propterea ab incœptis tuis desciscas, quæ tuam industriam diligentiam, indefessumque laborem, addo & πολυμαθίαν singularem produnt, cuius egregia sunt monumenta variæ illæ lucubrationes, quarum vel soli indices libro antiquitatum Gallicarum nuper à te in-

lucem edito præfixi, in tui admirationem nos trahunt; tot enim peragendis nedum ætas tua; sed nec hominis æuum sufficere posse videtur; ex his tamen quamplurima ad finem iam fæliciter perducta sunt quæ prope diem publicæ vtilitatis ergo in vulgus emissurus es. Nunc vero prodeunt obseruationes tuæ Medicæ multò auctiores & locupletiores quàm antea, ex quibus salutares fructus semper colliget, qui has ad legitimos vsus referet, quique eiusmodi casus varios & experimenta attente leget & ponderabit, in artis operibus procul dubio euadet exercitatissimus; iter enim ad exercitationem indicant, inquit Galenus. Cæterum dum ad hoc scribendi genus animum appulisti quamplurium celeberrimorum virorum vestigiis institisti, qui obseruationes suas & experimenta posteris benigne communicarunt, è quorum numero sunt Schenckius, Diomedes Cornarius, Valleriola, Forestus, Marcellus Donatus, Epiphanius Ferdinandus, Felix Platerus, Iacobus Oëtheus, Iessenius à Iessen, Ioan. Rudolphus Camerarius, Gregorius Horstius, Dominicus Panarolus Romanus Medicus, Ioan. Vvierus, Ioan. Vvittichius, Iodocus Lommius, Matthias Cornax, Petrus Matthæus Rossius, Philippus Hechsteterus, Vvolfgangus Gabelchouerus, Philippus Gruelingius, Ioannes

Henricus Freytagius, Amatus Lusitanus, Rembertus Dodonæus, Antonius Beniuenius, Ioan. Chiffletius, Marsilius Cagnatus, Ioan. Langius qui multas obseruationes epistolis suis inseruit, Henricus ab Heer, Seuerinus Eugalenus, Nicolaus Fontanus, Petrus Lotichius, Ioan. Fabricius Hildanus, Zacutus Lusitanus, Philippus Salmuthus, & alij quĩ similibus obseruationibus, tum ad praxim, tum anatomiam pertinentibus, opera sua Medica exornarunt, vt Fallopius, Iulius Cæsar Arantius, Bartholom. Cabrolius, Ambros. Paræus, Alexander Benedictus, cuius opera Nancelij manu correcta, in musæo suo libris refertißimo seruat vir clarissimus, mihique amicissimus Dom. Stamples Sereniſsimi Aurelianensium Ducis & Regis auunculi Medicus. His adde Sebastianum Meierum qui de obseruationum vtilitate scripsit epistolam, quæ Fabricij Hildani obseruationum Chirurgicarum centuria secunda, Geneuæ in 8. excusa extat. Possent symbolam suam multi conferre, qui ex artis operibus non paruam gloriam adepti sunt; sed vel illud bonum nobis inuident, vel ipsis per otium non licet singula quæ quotidie obseruant litteris exarare & publici iuris facere: pauca quorũ nũc recordor tibi expetenti cõmunicare non renuo, plura suppeditaturus si occasio & tempus darentur. Vale.

CALCVLI INNVMERI
inter meiendum excreti.

OBSERVATIO I.

VIR quidam ad Lutetiam litis defendendæ causa profectus in insula Palatij habitans apud D. *Le Cler* pistorem, annos natus circiter 45. renum calculo laborans diris admodum cruciatibus vexabatur per tres aut quatuor dies. Hic post vsum enematum, venæ sectionis, purgationis blandæ, semicupij, & olei amygdalarum dulcium per expressionem absque igne extracti, cum aqua stillatitia parietariæ intus sũpti, tandem excreuit vna hebdomade plusquam centum calculos, cicerum magnitudinem, colorem, & figuram referentes, lateribus quibus scilicet adhæserant quodammodo depressos. Cumque ab his tormentis per mensem liberatus esset, in ea denuò incidit, totidemque vnà cum vrina excreuit lapillos: sic autem miseram vitam degens, quia non amplius negotijs poterat esse intentus, de reditu in patriam cogitauit; Sed iter suum peragendo vi morbi coactus est in diuersorio commorari, vbi symptomatum sæuitia è viuis discessit.

Quis miseram illam fœcunditatem non mirabitur?

SCHOLIVM.

Similem fere legimus historiam apud Felicem Platerum lib. 3. obseruationum pag. 838. Quam Franciscus Colutius Veliternus transtulit in suum librum de querelis nephriticis : ibi enim refertur Theologum quemdam Milhusanum, calculos bis mille & plures mingendo paucorum annorum spatio reddidisse. Miror sane in hominis renibus talem reperiri lapidicinam, è qua tot lapilli eruuntur ad corporis fabricam euertendam potius quam construendam comparati : Renum amplitudo talis non videtur vt possit numerosam illam calculorum ſtuticationem suo sinu complecti, quare necesse est vt de nouo illi generentur multi exiguæ magnitudinis, veluti in ouorum productione fit, vnusque post alium continuò succrescat. Hæc renum calamitosa feracitas deploranda est; tantum enim abest vt illa ætatis progressu imminuatur atq; euanescat, quin potius augetur viresq; acquirit, eundo. λίθων μὲν ὧν εὐφυῆ γοάναν ἐς ἄγονον τρέψαι ἀδυνατον. ῥηϊτεσιν μὲν γὰρ μήτρῃσι ἄποκον θέμεναι ἢ νεφρὸς λιθιῶντας ἀλίτης inquit Aretæus l. 2. de curat. diuturn. c. 3. Quare autem ætas prouecta sit calculorum renalium feracior, rationem petendam esse existimo, tum ex parte excrementorũ quæ hac ætate magis redundant, tum ex caloris innati debilitate, cuius est coquere alimenta, excrementa secernere & expellere, & omnia naturæ opera, quæ in nobis peraguntur, perficere : Hicque debilitatur tam ab intemperie frigida quam calida

vt in febribus videre est, ita pueris calculus vesicæ familiaris est propter eius partis imbecillitatem; proindeque in vtrisque intemperaturis reperiri potest calculorum concretio, non quod existimemus tantum in corpore dari frigus vt illo concrescat materia calculosa, nec tantum calorem vt illam instar laterum excoquat atque induret, sed quod natiuus calor partium in quibus calculus generatur ita segnis hebesque reddatur, vt materiam illam excrementitiam digerere, excernere, atque expellere non valeat, sed fiat veluti transcolatio tenuioris partis, crassiori atque terrestriori subsistente veluti fit in lexiuijs; quod autem adeo facile in renibus subsistat, causa est angustia viarum, atque meatuum per quos transit materia illa calculosa, quæ ipsis prõpte adhæresçit, citòque concresçit, aquosiori parte separata, propter scilicet internum coagulationis principium, quod quidem nil aliud est, vt existimarunt plerique recentiores, quam spiritus quidam salinus, materiam terrestrem & fæculentam in tophos calculosque coagulans, qui per nouum materiæ appulsum augentur, & multiplicantur: idque per experimenta chymica comprobant, quibus videre est spiritum vrinæ, aut spiritum salis alijs spiritibus vel oleis affusum, ea in butyri vel vnguenti formam coagulare, quorum exempla legi poterunt apud Matthiam Vntzerum tractatu de nephritide. Huius sententiæ fuit Theophrastus Paracelsus lib de morb. tartar. quem plures sequuti sunt vt Crollius in præfat. basilic. nec ab ea opinione recedunt Matthiolus præfat. in 5. Dioscorid. Felix Platerus praxeos tom. 2. cap. 12. Anselmus Boëtius lib. 2. de gem-

mis cap.302. vbi preclare docet quomodo in corpore humano lapides generentut: Sennertus lib. 2. institutionum partic. 2. cap. 9. & practicæ medicinæ lib. 3. pratic. 7. sect. 1. cap. 6. & capite 11. libri de consensu & dissensu galenicorum & chymicorum: Beuerouicius eleganti quem de calculo conscripsit libro. cap. 6. & Riuerius praxeos medicæ lib. 14. cap. 1. Hofmannus in institutionibus medicis lib. 3. cap. 123. non multum ab his dissentire videtur, dum serum calculi causam materialem statuit, quatenus ei mixtæ sunt exhalationes plurimæ quibus inest Salsedo; sed humorem quembibet crassum & præsertim pituitosum adiungit; atque inde est ratio cur calculi generentur in omnibus partibus; cum enim serum sit ὄγμα ϛ πεοφῆς per omnes decurrit, & potest illi iungi pituita.

Calculus insignis & inæqualis, pulueris cuiusdam assumpti vsu per vrinam excretus.

Observatio II.

Dom. Salé pictor ingeniosus, doloribus nephriticis ijsque acutissimis conflictatus fuit varijs exhibitis & abhibitis remedijs tum generalibus tum particularibus, & presertim emulsionibus ex quatuor seminibus frigidis maioribus mundatis, & decocto radicis altheæ, & taraxaci paratis, non cessauit dolor ipsũ misere excrucians;

semicupij tamen vsu remittebatur, sed mox idem recurrebat: tandem morbi crudelitatis & diuturnitatis pertęsus, à fœmina quadam accepit puluerem quem ad ʒ. 1. cum vino albo sumpsit, à cuius hausţu calculum insignem inæqualem non sine dolore per vrethram excreuit, meliusque inde se habuit. Hunc puluerem quem vidimus & manu tractauimus, ex odore & sapore, è radice enulæ campanæ exsiccata factum fuisse iudicauimus. Ex hac obseruatione colligi potest in nephriticis doloribus corpore conuenienter vacuato, viisque emollientium vsu relaxatis, & humorum feruore contemperato, interdum locum dari diureticis, vt arenulæ siue calculi ad vesicam detrudantur, modò grandior calculus non conijciatur, alioquin illum in caput vreteris propellendo grauiores dolores excitarent.

Calculus vesicæ grandior quam vt potuisset ægro superstite extrahi, cum alio minore inter vesicæ membranas delitescente.

Observatio III.

Anno domini 1647. mense iunio inuisi apud Dom. le Ferreur Pharmacopoeum Regium vna cum peritissimo lithotomo dom. Collo, D. Challier dictum vulgò la Sonde Chirurgum in cohorte D. de Verneüil apud Batauos, annos natum circiter quadraginta, statura mediocri, corpore quodammodo crasso; in quo vrinam labo-

rioſam & ſtrangurioſam admodum comperi, viresque ex itineris labore fractas; adeo vt poſt ipſius calculi per catheterem explorationem, ingraueſcentibus ſymptomatibus illas cyſtotomiæ ferendæ pares non iudicauerim; cui ſententiæ comprobandæ non defuit euentus cum enim in dies cruciatus illi ingraueſcerent, viresque collaberentur fato tandem functus eſt. Aperto cadauere renes vrina diſtenti & turgidi reperti ſunt, quibus diſſectis copioſa effluxit, vreteres admodum lati, in veſica calculus inuentus eſt ponderis vnciarum quatuor cum ſemiſſe, totam veſicæ capacitatem replente vnà cum altero exiguo in ipſius veſicæ ſubſtantia deliteſcente, hepar liuidum & corruptum, quemadmodum & pulmones deprehendi, propter materiæ ſeroſæ tam ad partes naturales quam ſpiritales refluxum.

SCHOLIVM.

Hic lapillus intra duplicem veſicæ membranam latens haud dubiè in majorem molem excreuiſſet, ſi vlterius vita iſtius ægrotantis, prorogari potuiſſet, atque in hac veſicæ parte veluti ſaccum quemdam à priori veſicæ cauitate diſtinctum efformare potuiſſet. Hoc exemplum (credo,) nobisveluti digito monſtrat quomodo in quibuſdam calculoſis veluti duplex veſica efformetur: ſuo enim pondere atque mole calculus paulatim creſcens diſtendit & à ſe inuicem veſicæ membranas ſeiungit, ſibique amplum parat quo contineatur ſpatium, ſacci cuiuſdam in modum à priori veſica dependentis effictum, atque rupta vel exeſa interiori eius membrana peruium: atque

Riolanus

Riolanus lib. 2. anthropogr. illud idem obſeruat. hominis veſica, inquit, interdum intus ſaccum ſiue foueam habet extra capacitatem inferne protuberantem in qua ſæpe grandiores lapides nidulantur & latitant, qui immiſſo cathetere detegi ac deprehendi non poſſunt. Simile quid in magni Caſauboni aperto cadauere inuentum fuiſſe narratur, in cuius veſicæ cauitate veluti cuniculi exſculpti erant, quorum cauernulæ infinitis rotundis lapillis ſcatebant, & ad ſiniſtrum latus perforatum erat veſicæ corpus & peruium, rotundo foramine in ſaccum ſiue quandam veſicæ ἔκφυσιν deſinens, eamque craſſam atque ſpiſſam, eò nimirum propter partis imbecillitatem confluente ſanguine, in cuius veſicæ addititiæ fundo ingens ſaburra putris & olidi muci ſeu phlegmatis vitrei reſidebat; quam quidem veſicæ conformationem ab ipſis naturæ primordiis factam fuiſſe quidam exiſtimarunt. Ex hac autem obſeruatione colligitur inſuper nullum locum calculi extractioni relictum eſſe, vbi grandior factus eſt, & ad extrema ventum eſt : temeraria enim eſt tunc temporis veſicæ ſectio, quæ alias multis profuit; cum extrahi non poſſit calculus, niſi magno vulnere inflicto quo veſicæ corpus integrum diſſecatur atque effringitur, vireſque dolorum & cruciatuum immanitate exhauſtæ ſunt.

Veſica per medium eius corpus vulnerata quæ perfecte coaluit.

OBSERVATIO IV.

NOn longè à vico dicto BVSSY S. GEORGES ſex leucis à Lutetia diſſito, vidi Paſtorem quemdam grauiter vulneratum : hic cum alio dimicans in terram prona facie ceciderat, huicque humi jacenti aduerſarius latum cultrum, quem præmanibus habebat, in perinæum adegerat, ita vt amplo vulnere medium veſicæ corpus diſſectum fuerit : effluebat continuò per vulnus vrina, neque eius guttula per vrethram ſtillabat : cum bono corporis eſſet habitu commoda victus lege inſtituta, ſolo balſami Arcæi in vulnus inſtillati vſu perfecte curatus fuit. Hunc curauit peritiſſimus Chirurgus mihique affinis D. Philippus Godde.

SCHOLIVM.

Solemne illud eſt Hippocratis aph. 18. ſect. 6. cui perfecta fuerit veſica, aut cerebrum, aut cor, aut ſeptum tranſuerſum, aut tenue quoddam inteſtinum, aut ventriculus, aut iecur, lethale eſt. Et in coacis moriuntur autem maxime ex vulneribus, ſi cui cerebrum vulneratum fuerit, aut medulla ſpinalis, aut hepar, aut diaphragma, aut cor, aut veſica, aut aliqua ex iis venis quæ craſſiores ſunt. Hæ ſunt enim partes corporis quarum officio vita carere nequit, proindeq; earũ vulnera

sunt mortifera quod intelligendum est ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ· multa siquidem ex insperato contingunt in morbis. Sic Gal. l. 8. de vs. part. sub finem narrat se vidisse incredibile spectaculum in Smyrna vrbe Ioniæ, percuratum scilicet vulnus in adolescente, quod penetraret ad anteriorem ventriculum cerebri. καὶ ἡμεῖς ποτε τὸ παράδοξον ἐκεῖνο θέαμα, τὸ ἐπὶ τῆς ἰωνίας ἐν σμύρνῃ γενόμενον ἐθεασάμεθα, τὸ πρῶτον νεανίσκον εἰς τὴν ἑτέραν τῶν πλευρῶν χοιλίων εἶτα διεγενόμενον, ὡς ἐδόκει βουλήσει θεοῦ, ἀλλ' οὐκ αὐθαιρέτως ἐπ' ὀλίγον ἐξήκεσεν ἀμφοτέρων ὁμοῦ πρωτείσων. Memoratu digna est obseruatio quæ est 34. quam scripsit Cabrolius de rustico quodam, cui portio cranij vna cum cerebri altera portione abscissa fuerat, quem cum ita sauciatum videret, ipsum soli prognostico reliquit: at alterius rustici ope qui linamenta & linteamina omnia larido liquato, & multoties abluto insuccata apponebat, præter spem omnium curatus est, quod ipsum docuit de salute cuiuscumq; vulnerati nunquam desperandum esse. Hollerius comm. in aphorism. laudatum, mentionem facit cuiusdam militis suspensi, cuius dissectioni præfuit, in quo vulnus obductum cicatrice in parte carnosa diaphragmatis deprehensum est. Multæ historiæ pariter fidem faciunt vulnerum, tum ventriculi, tum vesicæ curatorum; nec alterutrius partis sauciatæ facilior est curatio, cum vtraq; sit membranosa; at prioris exemplum habemus in cultriuoro illo prussiaco cui facta est sectio ventriculi die 9. Iulij an. 1635. versus sinistram hypochondrij partem ad duos transuersos digitos sub nothis costis, secundum

rectitudinem, eoque ſucceſſu abſoluta eſt, vt non tantum culter decem tranſuerſos pollices longus exinde extractus, ſed & homo ipſe ſanitati reſtitutus fuerit. Huius curatio deſcripta fuit à Daniële Beckero Dantiſcano Medicinæ Profeſſore in academia Regiom. Et Dom. Ion. Clau. De la Covrvee, nunc Reginæ Poloniæ Medicus hiſtoriam conſcripſit ſimilem, cuiuſdam inſanientis in vico quatuor leucis à Lutetia diſſito habitantis, qui cultrum vna cum craticulæ ferramentis vorauit, è cuius dorſo cultri lamella extracta fuit, manubrio quod erat eburneum per moram in ventriculo liquato & conſumpto, atque intra ſex hebdomadas eius curatio abſoluta fuit: antequam vero culter educeretur vaginam cultri quam ſimul vorauerat ano deiecit, & duobus menſibus elapſis aliud ferrum è dextro epigaſtrio eductum fuit, poſt quinque menſes è ſiniſtro epigaſtrio erupit cochlidium ferreum ſemipede longius: vulnera autem ſimiliter ſanata ſunt.

Quæ igitur de vulnerum veſicæ curatione referuntur fidem ſuperare non debent; non enim eius ſubſtantia eſt penitus membranoſa; conſtat ſi quidem duplici membrana propria, quarum externa carnoſa eſt; imo hanc Bartholinus cum Aquapendente muſculum eſſe aſſerunt totam veſicam circumdantem, vt eius in vrinæ emiſſione contractioni inſeruiat; proinde illa vulnerata agglutinari & coaleſcere poteſt, licet cum aliqua difficultate; nec plane eſt ἀσύμφυτος vt aſſerit Duretus, com. in coacam prædictam, niſi, ratione tunicæ eius interioris quæ neruea eſt, & ἄναιμος ἢ ἄσαρκος exiſtit, ille intelligatur. Suntque plu-

tima eius vulnera inquit Hollerius com. in prædictum aph. quæ non possunt coalescere ; non tamen lethalia existunt : plurima vero fuerunt, quæ ad perfectam sanationem deducta sunt. Quod pluribus tum veterum, tum recentiorum historiis confirmari potest. Galenus initio de locis affectis refert historiam cuiusdam adolescẽtis Mitylenis, qui circa sedem gladio sauciatus, vulnere satis profundo, tribus primis diebus neque cibum, neque potum, ingessit, quarta vero die, adhibitis prius remediis ,cibum sumpsit ac bibit quoque deinde occidente sole iterum adhibita curatione, vrinæ circiter quatuor heminas per vulnus excreuit, cum antea ex quo vulneratus erat, nihil vrinæ reddidisset. Tum vero ab onere quo circa pubem grauabatur se perfecte liberatum esse dixit. Itaque procul dubio constabat in hoc vesicam fuisse vulneratam ; atque interpositis quibusdam addit Galenus. Percussus ergo valide quidam (scil. hic iuuenis) in ea parte, quæ semen appellatur, Græci perinæon vocant, inflammatione suborta in vulnere, vrinam reddere non potuit ; at vesica ipsa vtpote plena, manifeste secundum circumscriptionem intenta erat : huic ne irritaretur inflammatio, æneam fistulam adhibere noluimus, sed aqua calida affusa perungere satius putauimus : cumque tribus horis sic eum tractassemus, tensione non parum relaxata ac dolore, vt ipsemet fatebatur, non ita grauiter infestante, iussimus vt vrinam reddere tentaret : interim cum nos vesicæ tumorem ad inferiores partes impellendo sensim premeremus, iuuenis vrinam reddidit. Ex hoc loco colligit Iacotius com. in coac. vulnera vesicæ neque necessario ne-

que semper esse Lethalia. Refert Felix Platerus libro 3. obseruationum suarum pag. 797. Piscatorem quemdam Basilienſem sarcite laborantem in teste dextro, superuexisse læsa à lithotomo, inter sectionem sarcitis vesica : cum enim sarcites in immensam molem excreuisset, illam esse amputandam decretum est, sectioque in inguine facta fuit, quam dum administraret Lithotomus, & separaret illam carnositatem, casu vesicam illic quoque nimia distentione ampliatam vulnerauit, atque vrina maximo impetu in altum prosiliit, postea teste illius lateris execto, sarcitem successiue mensis fere spacio amputauit, vrina interim continuò, vnà cum frequenti arenularum copia per vulnus emanante, nec per penem nisi guttatim extillante. Tandem vulnere sanato, fistula in inguinis regione remansit, per quam immisso cathetere breui, quem continuo gestabat, vrinam totum biennium incolumis alioquin reddidit, neque per penem amplius eminxit. Postea sensim ampliato foramine ad vrinam dies noctesque retinendam; turunda coniformis ex panno formata intrusa est, quam supra annos viginti, nihilominus obambulans sanus alioquin & fere decrepitus gestabat.

Quia autem in nostra obseruatione, ad illa vulnera agglutinanda balsamum seu linimentum quoddam à Francisco Arcæo inuentum laudauimus, huius formulam in gratiam studiosorum hic appositimus, qualis extat apud Arcæum lib. 1. de vulneribus capitis, cap. 1. pag. 22. ℞. therebinth. clar. & emplast. de gum. elem. an. vnc. 1. sem. pinguedinis castrati vnc. 11. pinguedin. porcin. antiq. vnc. 1. liquefiant ad igné & fiat linimentũ

Hoc, quoties vsus erit ad ignem liquefacto gallinaceæ plumæ extremo vulnus leuiter inungitur.

Inteſtini vulnerati curatio.

OBSERVATIO V.

NOn ita pridem iuueni cuidam ſtatuario, quem inuiſi, ex ſaltu in ſcrotum delapſa ſunt inteſtina, quæ, cum domum deportatus eſſet & in lectum repoſitus, Chirurgi dexteritate in ventris capacitatem reducta fuerunt. Poſtea abſceſſus factus eſt paulo ſupra inguen, quo ſponte aperto alui fæces liquidæ excretæ ſunt, quibus inſpectis non dubitauerunt Chirurgi inteſtinum fuiſſe apertum : ſed cum ſolutio illa continui ex inteſtini eroſione à retento pure facta eſſet, futuram inutilem iudicauerunt; multis diebus elapſis accitus ego, præſcripſi potionem ex infuſo rhei & catholici cum ſyrupo roſar. Deinde potiones vulnerarias ex radice ſymphyti ma. foliis agrimonij, bugulæ veronicæ in hidromelite coctis paratas, & emplaſtrum vlceri ſuperimponendum quod apud Arantium habetur lib. de tumoribus cap. 42. quod ad inteſtini ieiuni in vmbilicum prolapſum ibi commendatur cuius hæc eſt deſcriptio. ℞. Aloës, maſtiches, thuris, ladani ſuccini, gummi tragacanth. gumm. arab. an. ʒ.ij. biſtort. hypociſtid. acaciæ, ſang. drac. bol. armen. orient. gallar. an. ʒ.i. ſem. cum cera citrina, terebinthina, & pice nauali q. ſ. fiat ceratum ſ.a. quod bene adhæreat, puluilloque ſuperpoſito faſcia de-

deligetur. Horum vsu vlcus melius se habuit, detergeri visum est, & carne impleri, nec fæces per illud vt antea iam excernuntur: nihilominus tamen adhuc sub iudice lis est. Sic nuper ad me relatum est curatum & perfecte sanatum fuisse iuuenem in carcere detentum, qui in singulari certamine, quod vulgò duellum vocant, vulnus in intestinis acceperat: at infortunatus ille, eò quod spreto Regis decreto prælium iniuerat, laqueo suspensus fuit, & strangulatus.

De melancholico dictu quædam stupenda.

OBSERVATIO VI.

IVenis quidam annum agens circiter 25. me conuenit, dixitque se grauissimo vexari incommodo quod dictu horrendum erat, vixque quale esset illud propalare se ausurum asseuerabat. Ipsum vero respiciēs, animaduerti atrocem vultum ὀφθαλμὸς ἐγκοίλους, totum corporis habitum squallidum & siccum, ipsumque proinde iudicaui melancholicum; cum instarem opus esse si vellet sanari, vt illud declararet Medico, verecundus retulit sibi inuito & reluctanti cum versaretur solus in cubiculo, ab aliqua vi interna diduci & aperiri buccas, linguamque moueri, & ad vocabula plurima proferenda impelli, atque sæpe lingua & labiis immotis vocem in faucibus formari & dearticulari, cuius ministerio quæcumque in vita patrauerat flagititia ipsi exprobraban-

tur, & ad Deum abnegandum cogebatur & impellebatur his verbis *abnega abnega Deum.* Hic admonitus fuit à Theologis quos consuluit, vt diuino cultui & precib⁹ assidue vacaret; deinde me aggressus est vt corporis sui curam haberem. Ego hæc terriculamenta humoris atri & melancholici hypochondria obsidentis mentemque percellentis esse ἔγχονα existimans, ipsi præscripsi enemata frequentia, venæ sectionem, purgationem ex interuallis repetitam, modò ex infus. fol. orient. epithym. tamarind. cass. crem. tartar. in decoct. capillar. in quo confectio hamech dissoluebatur & syrup. de pomis comp. modò ex ellebori nigri & senn. orient. extracto, è quo pilulæ formabantur: interim semicupium ingressus est per plures dies, hoc temporis spacio serum lactis depuratum in quo summitates fumariæ macerabantur, ingrediendo balneũ, quotidie assumebat. His remediis vsurpatis ad perfectam sanitatem & εὐθυμίαν deductus fuit, quique prius erat ἀπάνθρωπος factus est φιλάνθρωπος, cuique πρόσωπον χαμηφὲς aderat, factum fuit ἐρρωμένον.

SCHOLIVM.

Similes quodammodo historiæ referuntur à Felice Platero lib. 1. obseruat pag. 44. & 45. ibi enim legitur pio alioquin & docto cuidam in iuuentute accidisse, vt aliquando de Deo cogitanti vel precibus intento, impiæ cogitationes in mentem venirent, quas subito ex animo delere non poterat, quin subinde redeuntes ad impia quædam in Deum efferenda eum stimularent, quod illum mirum in modum angebat: hoc etsi cres-

cente ætate rarius illi accideret; tamen ad profectam ætatem vsque, hæc tentatio eum comitata est, veluti per accessiones eum inuadens. Sic narrat ibidē mulierē quandam religiosam alioquin, & probam, frequenter eo vsq; fuisse tentatam, vt ad Deo maledicendum & blasphemandum tacite sibi visa sit cogi, maxima animi cum anxietate, & perturbatione graui qua angebatur, sæpe conquestam esse, ipsumque vt ei suppetias ferret rogasse: quærenti autem quid illud esset, clam magno cum gemitu multisque cum lachrymis ipsi primo aperuisse continuò sollicitari & impelli se ad maritum noctu dormientem confodiendum adeo vehementer, vt vix sibi temperare posset, licet maritum præ omnibus mortalibus amaret, & pro ipso mori se esse paratam diceret. Hanc consolatus, inquit Platerus, adhibita cura per venæ sectionem, varias & multas euacuationes Deo iuuante in integrum restitui.

Hæc diaboli esse ad malum incitamenta perhibent Theologi, quem morborum causam externam esse aliquando, non inficiantur Medici. Ita Fernelius 2. de abdit rerum caus. cap. 16. scribit. Quidam non ita pridem quum per æstus nocte vehementer sitiret, è somno surgens, potu non inuento obuium malum forte prehendit, id mandens fauces sibi quasi manu præcludi strangularique sensit, simulque à subeunte Dæmone iam obsessus, visus est in tenebris videre se à prægrandi nigerimoque cane vorari, quæ postea, restitutus integra mente, nobis ordine recensuit; sed præterea humorem melancholicum, qui diaboli balneum vulgò dicitur, causam esse proximam statuunt horum affectuum, qui in imagina-

tionis & ratiocinationis deprauatione consistunt: mirum enim dictu est quam varias excitet in corpore humano tragœdias humor hic, dum plus æquo cumulatur, vel qualitatem cerebri temperamento, & spiritibus infensam adipiscitur, siue illa sit frigiditas & siccitas, quæ qualitates vitæ insidiantur, & principibus edendis functionibus cerebrum inhabile reddunt, siue sit crassities & color ater quibus spiritus segnes, torpentes, atque caliginosi efficiuntur, qui deinde spectra varia, speciesque terribiles imaginationi repræsentant: siue sit qualitas quædam venenata & deleteria, quæ proprie & necessario nec calida, nec frigida sit; sed potius maligna propter certum putredinis modum huic humori proprium, qui spiritus & cerebri temperaturam naturalem corrumpat; vnde mores agrestes, syluestres, & ferini acquiruntur, humani vero deperduntur; propterea homo in hunc affectum incidens, qui antea ad societatem natum erat animal, secessus quærit, ἀπανθρωπίαν & μισανθρωπίαν veluti belluarum pelles induit, quiq; prius erat εὔθυμος καὶ εὐμήνης sit δυσθύμιος· siue tandem horum funestrorum symptomatum causam dicamus esse spirituum inopiam & paupertatem, qua laborant melancholici, eò quod crassior sanguis, ad spirituum generationem in hac corporis constitutione reperiatur, vnde sæpe animo linquuntur & incidunt in lipothymiam, nec sanguinis vacuationem facile ferunt. Quod quidem vini effectu contrario clarius efficitur; illud enim moderate sumptum, vt pote spiritibus refertissimum, tristitiam discutit, nec melancholicis hac ratione prorsus inutile & infructuosum; atque adeo hic

spirituum defectus forsan causa est (si ita mihi liceat Philosophari) propter quam multis infarctibus & obstructionibus totam aluinæ regionis œconomiam perturbantibus abundent melancholici: mobilitate enim & tenuitate qua spiritus pollent, in meatibus reserandis & crassis humoribus attenuandis plurimum possunt si abundent; ideo lieni crassioris humoris receptaculo arteriæ plures datæ existimantur; ideo spiritus ἐκ τροφῆς ὀχήματα verissime dici possunt, partem enim alimenti natura sua grauis ad partes corporis superiores rapiunt, euehunt, & ad minimas omnes particulas peruadendo & penetrando sanguinem deferunt. In horum locum impuri & flatulenti multi spititus in melancholicis corporibus suppeditantur, & peruenas arteriasque omnes discurrunt, hinc borborygmi & rugitus in ventre obaudiuntur, palpitationes, vertigines, visaque mendacia ipsis contingunt & obuersantur: hinc etiam alimenti coctio eiusque distributio minus fœliciter perficitur, tantum enim est caloris in nobis quantum spiritus, cum huius sit τροφῶν δεκτικον· hinc plurima succrescunt recrementa, quæ in corpore retenta calorem natiuum vel exacuunt, vel infringunt & obruunt. Deficientibus his spiritibus, deficit, quoque menti lumen internum, quo spiritus non carent, & cuius ope recreari & refocillari solebant. Horum denique spirituum paupertas & imminutio breuiorem vitæ terminum præfigit, vt in multis melancholicis videre est; è contra illorum vbertas in sanguineis & temperatis vitam producunt & longæuam efficiunt.

Gaspar Marcvcivs, cap. 16. quadripartiti

melancholici parte 7. ait ſanguinem non colore, non ſplendore, non lumine, ſed caliditate & humiditate quam obtinet, ipſam ſpiritibus animalibus impertiendo producere lætitiam. Cæterum notat ille cap. 25. eiuſdem quadriparti part. 1. dæmonem morbos qui pendent ex materia non aliter inferre quam aliæ cauſæ procatarcticæ, puta mouendo internas, vt melancholiam morbum, augendo ſuccum melancholicum, & eum qui inerat commouendo, deferendoque in cerebrum, & internorum ſenſuum ſedes, vapores nigros: augere vero poſſe melancholicum humorem qui naturaliter generatur, detinendo ne expurgetur: nihil autem referre vult Auicenna (quod Medicum ſpectat) ad morborum curationem, ſiue dæmon ſit qui melancholica inferat accidentia, ſiue non: ratio eſt quia dæmon non aliter ea inferre poteſt, quam per ſuccum melancholicum, quo euacuato humore neceſſe eſt tolli morbum.

Cerebri valida concuſsio peſsima inferens ſymptomata.

OBSERVATIO VII.

SVperiori æſtate fœminæ cuidam dictæ Dom. Sergent, annum ætatis agenti circiter trigeſimum accidit, vt ſtans præ foribus Nobiliſſimi viri Dom. Roſé tegula ex tecto deciderit in eius verticem, atque ita penitus effracta & in minutas partes redacta fuerit: quo ictu in terram cecidit ἄφωνος ſenſu & motu ad horam deſtituta.

Deraſo capite cutis contuſa tantum apparuit, abſque continui ſolutione manifeſta : huic illico detractus fuit ſanguis è brachio, & pars contuſa oleo roſaceo inuncta, vnaque conueniens victus ratio præſcripta eſt. Mox febris vehemens ipſam corripuit, cum vomitu, delirio, & conuulſiuis motibus : his apparentibus ſymptomatibus, latentem cranij fracturam reformidauimus, & iam Chirurgus qui aderat de cutis inciſione cogitabat, quam tamen differri volui in diem ſequentem, ad quam confugiendum eſſe dicebam, ſi dicta ſymptomata vel ingraueſcerent, vel etiam permanerent :ſed cum die ſequenti febris remitteret, aliaque ſymptomata miteſcerent, inciſionem in aliud tempus diſtuli, exiſtimans eam non eſſe ex vſu, ſi nempe hæc ſymptomata ex cerebri tantum commotione & concuſſione fuiſſent producta:venæ ſectionem interim iterandam eſſe arbitratus ſum, qua celebrata, & aluo enematum ope ſollicitata, die tertia ἀπύρετος facta eſt, cæteraque ſymptomata ſedata ſunt, cumque ita per duos dies intermiſerint, è lecto ſurrexit : ſed die quinta eadem reuerſa ſunt, cumque eadem ſecandi,oſque denudandi ſe ſe offerret indicatio, iiſdem ſymptomatibus perſeuerantibus, Dom. Le Large Chirurgum peritiſſimum in conſilium adhibuimus, qui nobiſcum ſenſit ſectionem eſſe procraſtinandam; die ſequenti cum minora eſſent ſymptomatâ ab illa ſuperſedimus : poſt ſeptimum diem eorumdem ſymptomatum facta eſt reuerſio, eorumdemque ſimiliter vt antea ceſſatio, haſque recidiuas ex errore ægrotantis profectas conjiciebamus : interea miſſus fuit ſanguis pluries, hocque notatu dignum euenit, vt dum

in latus reclinata esset, per nares & os serosi humoris copiam affatim excreuerit, adeo vt lintea omnia hoc humore essent imbuta; postea in dies melius se habuit, dolore tantum capitis remanente, litus semper fuere adhibiti, emplastrum de betonica parti dolenti admotum fuit, tandem perfecte conualuit absque sectione & cranij apertione.

SCHOLIVM.

Eadem fere eueniunt symptomata in sola commotione & concussione cerebri, atque in vulnere & fissura cranij, nam prolapsus in terram, sensuum interceptio, febris, vomitus bilioſus, delirium, & motus conuulsiui vtramque læsionem comitantur. De cranij fractura celebre est illud Hippocratis Aph. 50. Sect. 6. ὁκόσοισιν αἰ ὁ ἐγκέφαλος ἀραχοπῇ, τυτέοισιν ἀνάγκη πυρετὸν καὶ χολῆς ἔμετον ὑπογίνεσθαι, & in coac. οἷσιν ὁ ἐγκέφαλος ὑπερώσκεται· πυρετὸς, ὡς ὑπὶ τὸ πολὺ, καὶ χολῆς ἔμετος ὑποχύσεως, καὶ ἀποπληξίη σώματος, quæ quidem licet de cerebro vulnerato dicta sint, pertinent etiam ad fractam caluariam. De concussione vero & commotione cerebri non egit Hippocrates libro de vulneribus capitis; sed in coacis prænotionibus talia leguntur ὅσοισιν αἰ ὁ ἐγκέφαλος σφυῇ καὶ πονέσῃ πληγεῖσιν ἢ ἄλλως πίπτουσι, τοῦτο χρῆμα ἄφωνοι γίνονται καὶ ὅτε ὁρῶσιν, ὅτε ἀκούουσι, καὶ τὰ πολλὰ γνώσκουσι. i. e. quibus concussum est cerebrum, doluitque, percussis aut alias lapsis, hi statim obmutescunt, & neque

vident, neque audiunt, & plerumque moriuntur. Similia leguntur lib. 1. de morbis initio: καὶ ἰὼ ὁ ἐγκέφαλος σφαθῇ τε καὶ πονέοιτο, πληγέντος ἄφονον τὸ βῆχρῆμα γενέσθαι ἀνάγκη, καὶ μήτε ὁρᾶν, μήτε ἀκούειν. & Aphor. 58. Sect. 7. ὁκόσοισι δ' ἂν ὁ ἐγκέφαλος σφαθῇ, ὑπὸ λιθὸς πεσόντος, ἀνάγκη ἀφώνους γενέσθαι τὸ βῆχρῆμα. Concuſſionis autem cerebri cauſa eſt vel interna, vel externa; interna eſt humor vel vapor quidam, cuius moleſtia proritatur & concutitur cerebrum vt illum excutiat, qualis accidit in ſternutatatione & epilepſia: externa vero concuſſionis cauſa triplex ſtatuitur à Lud. Dureto com. in coac. p. 408. Nempe ictus capitis ex telo graui atque obtuſo, vel lapſus ex alto in ſaxum, vel compreſſio violenta cerebri ab excidente modiolo imperiti Chirurgi manu admoto, qui circumagendi finem non fecit, dum ad membranam cerebri penetrauit.

Sæpius caſu ex alto, & alliſione capitis ad corpus aliquod durum talis cerebri conquaſſatio & commotio accidit, tantoque facilius quanto in ipſius ambitu vacuũ ſpacium amplius eſt, & multo magis in ſenibus hanc fieri dixit Galen. com. in Aph. 58. Sect. 7. ita perculſi voce, viſu, & auditu deſtituti jacent veluti apoplectici, virtute animali in cerebrum ſeſe colligente, & otiante, vel propter validum dolorem ex toto ſpiritus in cerebrum reuocante; vel ſpiritibus propter coarctatos meatus quibus ad ſenſoria externa deferri ſolebant, intercluſis; vel magna illa agitatione confuſis, reſolutis, & diſſipatis: redeunt vero ad ſe ſe dum ſpiritus ſe ſe explicant: interdum tamen

percunt

pereunt si quod subsidit cerebrum à concussione non statim resurgat, vel rupta sit aliqua venula intra caluariam, è qua sanguis paulatim effluens corrumpatur, inflammationemque cerebri eiusque membranarum inferat; aliquando nerui alicuius disruptio & distētio, corporis resolutionem & conuulsionem inferens contingit: vel febris excitatur accensis spiritibus & humoribus propter vehementem eorum agitationem, & perturbationem, aut propter dolorem & gliscentem putredinem: vertigo & delirium fiunt ob inordinatum spirituum motum, & membranarum inflammationem, vnde illud Hippocratis Aph. 14. Sect. 7 ὅτι πληγῇ ἐς τὴν κεφαλὴν ἔκπληξις ἢ παραφροσύνη κακόν. à capitis ictu stupor aut desipientia malum. Conuulsio denique patiente neruorum principio accidit: quæ symptomata vt plurimum si primis diebus appareant, minoris sunt periculi quam quæ temporis successu, & post septimum diem, vt fit æstate, vel decimum quartum vt hyeme, contingunt: hæc enim ex corruptione paulatim inducta tunc proficisci solent; sic ex contusione accidit interdum vt in meditullio vasculum aliquod aliqua sui parte abruptum sit, ex quo paulatim sanies destillet, quæ subiectas partes corrumpat; propterea dixit Hippocrat. loquens de contusione, affectionem hanc plerūmque Medicum latere, ipsumque decipere, cum quæ ipsi prius non erant nota ex superuenientibus postea ipsi fiunt manifesta. Vomitus adest serosi excrementi cum bile permixti, compatiente nimirum ventriculo cum cerebri membranis & agitatione, atque calore in parte affecta præter natū.

ram excitato, liquata & confluente materia ex partibus vicinis.

Hic autem notanda ſunt quæ Salius Diuerſus com. in primum de morbis animaduertit his verbis. Quoniam in iſta cerebri concuſſione dum ad vnum latus colliditur, ab altero latere cerebrum diſtrahitur, duorum alterum hinc inde ſequi neceſſe eſt: nam ex hac diſtractione, vel quædam partes circa cerebrum & ab eo exortæ, aut circa membranas abrumpuntur, vel ipſum cerebrum auelli, aut aliquando eius partem conuelli aut diſtrahi contingit. In primo caſu reſtituuntur ægrotantes; quoniam non patiente cerebro ipſo, ſpiritus & facultates omnes recuperantur: in ſecundo autem nequaquam; quoniam patitur cerebrum continui ſolutionem in propria ſubſtantia, illa hinc inde diſtracta, ex quo ſpiritus euaneſcunt & extinguuntur; quapropter neceſſario pereunt: hæc autem cerebri attulſio, aut partium ab eo, aut à membranis exorientium diſtractio potiſſimum fit in his in quibus plurimum vacui eſt intra caluam, eam cerebro in totum non implente: talis autem ſtatus ſolet fere in omnibus hominibus eſſe tempore coïtus lunæ, & ſpecialiter omni tempore in ſenibus quibus cerebrum inareſcit.

In vehementi illa cerebri concuſſione & colliſione quam experta fuit prædicta fœmina, oppreſſa penitus fuiſſet virtus animalis, niſi alacriter reſurgens vireſque reſumens natura, excuſſiſſet & per nares amandauiſſet ſeroſi humoris copiam è cerebri ſubſtantia ictu & ſuccuſſione expreſſam: alioquin hoc ſeroſo recremento per cerebri ſubſtantiam ciuſque ventriculos regurgitante, alto

sopore correpta, vel apoplexia extincta penitus fuisset.

Ex hac historia colligere possumus illico non esse aggrediendam cutis incisionem in capitis contusionibus, etiamsi praua symptomata appareant, nisi adsint fracturæ cranij, vel sanguinis sub cranio effusi certissima indicia, & perseuerent symptomata: capitis enim externorum tegumentorum sectione, ossis subjecti alteratio interdum subsequuta est, quæ tandem mortem intulit: hoc pridem annotauit & conscripsit Franciscus Arcæus lib. 1. de recta curandorum vulnerum ratione cap. 1. cuius verba hic apponimus, quoniam hic liber non omnibus sit obuius. Ad vulnera (inquit) quæ vltra pericranium non pertingunt curanda, Chirurgi plerumque indocti accersiri solent, quibus illud inprimis commune omnibus fere est, vt vulnera omnia quæcumque in capite fiunt, magna crucis figura incisa adaperiant, & (vt illorum verbo vtar) manifestent, atque cranium detegant: huius erroris causa est commune quoddam apud illos nullo certo auctore præceptum, quo vulnera capitis vniuersa manifestari atque aperiri tradunt; vt in secunda curatione an capitis os fractum incisumve fuerit cognoscatur: ex quo istorum errore multa iis qui sic affecti sunt afferuntur incommoda; inprimis enim curationem tardiorem ac longiorem effici necesse est; namque secundum artem curata octauo vel ad summum decimo die bene haberent, quamuis quantitate magna essent: contra isti vix altero vel tertio interdum mense curant, cuius etiam vitij Galenus Thessalum arguebat 4. method. præterea vulnus ad cranium vsque aperien-

tes ægrotum: ipſum in ſummum vitæ diſcrimen non raro conjiciunt, quippe non raro exiguam oſſis partem aëre frigido tentante corruptam extrahi hoc modo curatis neceſſe ſit, quod quidem os neque corruptum alias neque inciſum fuerat, nec raro euenit vt non ſuperficies modò, ſed ipſum os totum ſecundum craſſitudinem corrumpatur. Idem comprobat lib. 2. pag. 174. Ioannis Gometij de Columbis Cazallenſis exemplo, cui vulnus in dextra capitis parte nullam rupturæ ſignificationem exhibens in crucem tribus digitis quadratam, dilatatum fuit; ex quo euenit vt non modo detecta cranij pars, ſed multo etiam major vndique portio corrupta fuerit. Quod etiam ex obſeruatione ſequenti innoteſcere poterit.

Ex capitis carne temere à Chirurgo ſecta, oſſiſque abſcedentis portiuncula vi auulſa, membranarum cerebri alteratio, in eiuſque ſubſtantia abſceſſus, & tandem mors.

Obſervatio VIII.

FOEminæ cuiuſdam caput grauiter contuſum fuit delabente aſſere quo officina claudebatur, à Chirurgo quodam diuiſa fuit cutis & caro ad os vſque, & pericranium abraſum vna cum oſſis ſubſtantia aliqua: vulnus diu apertum relictum eſt, nec vlla oſſis fracti indicia aderant,

eumque os tandem abscederet, portio quædam ossis quæ separabatur, vi quadam ablata fuit à Chirurgo, moxque sanguis ex osse resudans visus est: postea febris acuta cuius antea expers erat ipsam corripuit, tandemque interiit. Post mortem aperto capite inuentus fuit abscessus in cerebri substantia, & membranæ ipsum inuoluentes liuidæ.

Ex contusione in musculo temporali grauissima symptomata, incisione simplici & exigua sedata.

OBSERVATIO IX.

FOEmina iuuenis dicta Dom. BADOIS caput inclinans ex improuiso in mensæ angulum impegit, & contusionem in musculo temporali experta est, absque vulnere, quo ictu concidit in terram voce sensuque omni destituta: his superuenit febris acuta, delirium, motus conuulsiui brachiorum & tibiarum, quibus ad tertium & quartum diem perseuerantibus etiamsi pluries detractus fuisset sanguis. In consilium vocatus fuit Dom. LE LARGE, peritissimus Chirurgus, qui sensit nobiscum hæc symptomata ex musculi temporalis contusione, eiusque fibrarum dilaceratione & pericranij hunc musculum inuoluentis compressione esse orta. Incerti tamen eramus an fractura ossis subesset: quare incisio secundum fibrarum ductum parua facta est, & paulo post febris cæteraque symptomata sedata sunt, exu-

dante ſcilicet ſanie acri quæ partem ſenſu exquiſitiſsimo præditam vellicabat & ſtimulabat.

Hepar materia quadam indurata in pluribus locis refertum, & pancreas inſolitæ atque ſtupendæ magnitudinis, ex quo renis è ſuo loco naturali dimotio facta eſt.

OBSERVATIO X.

VIr nobiliſſim⁹ D. DE LOSIERES dolore hypochondrij dextri per plures annos cõflictatus fuit, cum ventriculi & diaphragmatis compreſſione: initio cum degeret in agro Pictauiẽſi hic dolor pro colico huic regioni vernaculo à Medicis iudicatus fuit. Ex remediis quæ tunc ipſi præſcripta fuere parum vtilitatis & ſolatij percepit. Poſtquam vero Lutetiam ſe ſe contulerit, celebriores vrbis Medicos aduocauit, quorum iudicio abſceſſus in hepate genitus dicebatur, variaque ipſi abſque vllo ægrotantis emolumento exhibita ſunt remedia, ego ſub finem morbi & vitæ vocatus inueni ipſum dyſpnoea graui laborantem, & dolore huiuſce lateris & abdominis ita vexatum & compreſſum, vt neque in dorſum, nec in latus recumbere poſſet, ſed cogeretur ſedere in lecto, & præ doloris grauitate & vehementia ipſe diſrumpi ſibi videbatur, tandem his atrocibus doloribus confectus extremum obiit diem. Aperto cadauere hepar magnum multis abſceſſibus refertum in-

uentum est, & materia quadam indurata, vitellosque ouorum colore referente repletum, pancreas erat admodum ingens. Ren erat luxatus, & è suo loco dimotus, propellente scilicet paulatim ipsum deorsum pancreate.

Ex lochiis non rite fluentibus phtysis, & pulmonum corruptela.

OBSERVATIO XI.

NObilissima & generosissima fœmina Dom. DE LA GROSSETIERE, à partu non fluentibus vt antea solebant lochiis, nec rerum non naturalium vsu legitimo adhibito, incidit in tussim molestam quæ sensim in dies cum pectoris dolore & grauitate exacerbata est, febrisque per interualla vehemens ipsam inuadebat: ipsi aliquoties detractus fuit sanguis & purgatio instituta, sed cum ab vrbe remota esset, non potuit Medicorum consilio commode frui. In peius sensim cum ruerent omnia, vt saluti suæ prospiceret Lutetiam se contulit; sed morbus adeo inualescebat vt iam tussim molestam & fere continuam febris hectica & macies corporis comitaretur. Multis præsidiis reuellentibus, diuertentibus, euacuantibus, refrigerantibus, bechicis & analepticis pugnatum fuit aduersus morbum, quibus tamen expugnari minimè potuit, atque inter tot ærumnas & difficultates decem mensium spacio vitam agẽte tandem interiit. Aperto cadauere pulmones toti purulenti inuenti sunt, adeo vt ne minima

quidem eorum particula scalpello diuideretur, quin ex eorum substantia foraminulenta effluere puris fœtidi insignis copia; in his iuxta clauiculas deprehensus fuit saccus pure refertus, exesa pulmonum substantia productus. Ad costas vtrimque adhærescebant pulmones. Hepar amplum erat, æqualiter vtriusque hypochondrij cauitatem replens, subalbido colore præditum, renes quoad situm sibi inuicem ex æquo respondebant. Nec dexter sinistro depressior erat.

SCHOLIVM.

PArtes spiritales ex vitio partium genitalium labem contrahere non mirum est; ambæ enim sæpius coafficiuntur, & inter vtrasque magnus consensus & communio intercedit per venas communes, & præsertim per venæ epigastricæ cum mammaria concursum. Illud obseruauit Hippocr. lib. 2. epid. Sect. 1. his verbis ἀποφθορύων οἱ πτθοὶ, παρισχναίνονται, οὐδὲ γὰρ ἐναντίον, οὐδὲ βῆχες χρόνιαι, ὅτι ὄρχις οἰδήσαντος πάυονται. ὄρχις οἰδήσας ἀπὸ βηχέων ἐπώδυνα κοινωνίης σηθέων, μαζῶν, γονῆς, φωνῆς. i. e. abortientium mammæ graciles fiunt, neque enim hic contrarietas est, neque tusses diuturnæ, quoniam vbi testis intumuit cessant, & ex tussi testis intumescens nos admonet communionis pectorum, mammarum, genituræ & vocis: vbi Fœsius dubitat an hic γονὴ pro vtero sumi possit, quemadmodum Hipp. lib. περὶ ἀφόρων γυναικῶν καὶ γεννητικὰ μόρια vocat, & Pollux τὴν

μήτραν γονὸν ab Hipp. vocari scribit. Sic enim ille lib. 2. cap. 4. Sect. 46. Ἱπποκρατὴς ὃ δ' ἀδελφεὸν μόνον ἀλλὰ καὶ γονὸν τὴν μήτραν καλεῖ, ἐν ᾗ τό, τε ἔμβρυον ζωίζεται, καὶ πέφυκεν, καὶ τὸ ἐμμηνιον αἷμα συναθροίζεται. Ita Valesius com. in locum Hippocrat. prædictum, genituræ & vocis nominibus instrumenta genitalia quæ sunt vterus, testes, & genitale membrum; & vocalia, quæ sunt larynx, nerui recurrentes, thorax, & omnia respirationis instrumenta intelligi scribit. Quot autem & quanta incommoda inferant purgamenta puerperia cum ante diem sistuntur, quamuis dies aliquot prorupta fuerint liberaliter, notissimum est: nam cum sint hæc reliquiæ menstruorum per grauiditatem circa locos muliebres stabulantium grauiditatis tempore, facta caloris natiui à concepto fœtu amplificatione hæ incorruptæ seruabantur; sed postea huius beneficio destitutæ veluti emortuæ relinquuntur, atque vbi suppressæ sunt, & cursum ad superiores partes inflectunt, inflammationes, dysponeam, & corruptelam harum partium inducunt, vt ex Dureto discere possumus, com. in illam coacam

Faciei & reliqui corporis gracilitas & extenuatio, in habitiorem constitutionem mutata.

Observatio XII.

NObilis fœmina macilenta & gracilis vsa est ad ἐυεξίαν καὶ εὐχροιαν comparandam iusculis & hordeatis. His parum proficientibus, alterius nobilissimæ fœminæ suasione & exemplo, quotidie mane panem aqua communi intinctum & madefactum comedit, cuius beneficio faciem habitiorem, & totum corporis habitum laudabiliorem obtinuit. At quomodo panis aqua maceratus ἐυαρχίαν induxerit non video; nisi dicamus vim refrigerandi quæ aquæ inest, in pane seruari diutiusque remanere in ventriculo, qui cum natura calidior esset, vna cum cæteris visceribus nutritiis, alimentum minime idoneum corpori suppeditabat: aqua vero simplex & aliæ potiones refrigerantes promptius è ventriculo effluunt & elabuntur, nec nutriunt; aqua enim non nutrit: pani vero aqua ita macerato vtraque virtus inest & refrigerandi & nutriendi: adde quod per macerationem istam panis fermenti qualitatem deponit, quæ cum sit quodammodo acris, habitum corporis extenuat, nec nutritioni ita apta est: vulgatum enim est apud Medicos nos nutriri dulcibus.

De crassiori corporis habitu extenuando.

OBSERVATIO XIII.

MVlti quibus crassior est corporis habitus, & pinguior aqualiculus, eius extenuationem summopere exoptant, vt deambulationibus, & variis corporis motibus & inflexionibus, liberius & absque molestia vacare possint: in hunc finem remedia quibus voti participes fiant quotidie à Medicis expetunt; sed ex iis pauca tuta & certa esse existimo: tenuis enim diæta sæpe parum proficit; imo plurima multis intulit damna: humores enim exacuit & inflammat, febremque sæpius excitat. A quibusdam vsus aceti commendatur; sed ventriculum & intestina lædere potest, cum sit membranosis omnibus partibus infensum; eo tamen fœliciter vsus est ad corporis sui extenuationem & imminutionem, Chiapinius Vitellius Cetonæ Marchio, generalis castrorum præfectus in Hispaniarum Regis exercitu belgico vt videre est apud Stradam decad. 1. lib. 8. de bello Belgico. Mirum fuit, inquit hominem obesitate prætumidum ea valuisse non modo vi mentis, sed etiam corporis expedite se se inflectentis agilitate: vt in præliis ad ducis prudentiam, non magnopere in illo desiderares bellatoris dexteritatem. Quod enim sub mediam ferme ætatem increscente adeo mole, fascia è collo demissa sustinendus venter esset immodice projectus, videret tardiorem quotidie reddi se ad belli munia, homo ad militiam

cuncta referens, vino ſua ſponte ſibi interdicto, acetum exinde bibere ad vitæ vſque finem perſeuerauit, effecitque vt detumeſcente abdomine, defluenteque ventris pelle, qua ipſe ſe thoracis inſtar inuoluebat; octoginta ſeptem librarum decreuiſſe pondo compertus ſit. Noui ego hominem qui ex obeſo & craſſiſſimo gracilior euaſit, detracta ſcilicet panis portione quem quotidie copioſum comedebat: Huic in panis locum maior carnis quantitas ad eſum exhibita eſt. Multa ſunt equidem quæ corpus non modo extenuant ſed etiam conficiunt vt exercitia immodica, curæ graues, vigiliæ, ſuſceptæ lites, à quibus abſtinere ſatius eſt.

Manus cum parte brachij putrefacta & corrupta, naturæ virtute à ſanis partibus ſeparata, & ſponte decidua.

OBSERVATIO XIV.

FRatria Dom. LE SOVBS Doctoris Medici ſcholæ Pariſienſis, monialis degens in cœnobio virginum vici prope Lutetiam ſiti dicti MALNOÜE, manus digitorum acerrimo dolore correpta fuit abſque rubore & tumore. Accitus fuit cum dom. LE SOVBS, D. ANTONIVS BERTRAND Chirurgus peritiſſimus in via ſaniacobea habitans, qui manum indolentem & frigidiſſimam deprehendit, animaduertit inſuper in vola manus veluti ecchymoſim quandam, quam acicula pun-

xit vt & totam manum & brachium, in quibus nullus erat doloris sensus nisi circa cubiti flexuram : partem caloris natiui extinctione laborantem scarificationibus profundis incidendam, lotionibus ex spiritu vini,& aqua phagedęnica perfundendam, cataplasma ex farina hordei & vino superponendū arbitrati sunt ; quibus peractis existimantes illam breui morituram, discesserunt. Multis diebus elapsis inuitatus rursus Dom. BERTRAND ad illam ægrotantem inuisendam, illucque profectus, manum vidit à brachio separatam, quæ sponte corrupta iam deciderat, musculorum carne ossa cubiti & radij denudata, sphacelo & nigredine infecta. Agebatur tunc de partis emortuæ & corruptæ amputatione; sed nolebat ferre ægrotans ad viuum resectionem : itaque sectio in parte emortua infra cubiti flexuram facta est ossaque nonnisi post annum abscedere & exfoliari visa sunt, ægrotante tamen præter spem superstite.

Dolor capitis acutissimus ex materia quadam lapidea crassæ meningi adnata, & spiculis suis tenuem membranam cerebri perfodiente.

OBSERVATIO XV.

NObilissima fœmina D. Suzanna TALON, filia nobilissimi & clarissimi viri D. TALON Regi à secretioribus cōsiliis, vxor illustrissimi D. Ludo-

uici PHELIPPEAVX Dom. de PONTCHARTRAIN, in ſuprema computorum regiorum curia præſidis, dolore capitis acutiſſimo diu conflictata fuit, eoque pungente admodum inſtar acuum vel telorum parti infixorum, interdum vehementius, interdum minus ipſam diuexante ; doloris vehementia preſſa eiulabat, & ambabus manibus caput prehendebat, ad quem dolorem ſedandum multoties detractus fuit ſanguis à Medicis Pariſienſibus ; parti dolenti, cui inſtar verrucæ cuiuſdam callus inerat ; admotum fuit pyroticum, & ad cranij perforationem deueniendum eſſe inſtabat Dom. PIMPRENELLE, Chirurgus Pariſienſis celeberrimus cui tamen non fuit ὁμόψηφος Dom. Antonius BERTRAND Chirurgus Pariſienſis ſupra memoratus, ægrotantis ordinarius. Hæc deinde in hydropem incidit, tandemque interiit. Aperto poſt mortem cranio inuenit dictus Dom. BERTRAND ſub craſſa meninge iuxta canalem anteriorem ſeu torcular vtrimque, induratam quandam materiam & lapideam, inſtar rupis cuiuſdam inæqualem & aſperam, aculeis multis, & veluti cati vnguibus, conchyliis, variiſque figuris diſtinctam & variegatam, ipſique craſſæ meningi firmiter adhæreſcentem, inter cuius inæqualitates venulæ ferebantur ad ligularum ferramentorum magnitudinem accedentes, quæ hanc materiam rigabant, ſupra tenuem meningem humor quidam mucoſus repertus eſt. Magnam huius craſſæ meningis portionem, cui dicta rupes adhæret, adhuc ſeruat præfatus Chirurgus Dom. BERTRAND, cuius figuram hic exhibuimus.

FIGVRA MATERIÆ LAPIDEÆ

{Pag. 46. observat. Cattierij}

Crassæ meningi adnatæ
in mulieri .

1. *Crassæ menungis pars juxta canolem anteriorem .*
2. *Materia lapidea jnæqualis et aspera ipsi crassæ meningi adhærescens .*

Perinæi, ani, scroti, testiculi tunicarum, hypogastrij serpens putredo, & gangræna cohibita.

OBSERVATIO XVI.

D. Oliuarius de VARENNES, Bibliopola Parisiensis eruditus, conquerebatur hyeme nouissima de frigore totius corporis, & præsertim ventris inferioris, atque insuper de scabie. Hic forte inter comedendum deglutiuit ossiculum è crure pulli, quod hærens ano, digitis extraxit: dolor antea parti inerat, putabatque esse hæmorrhoides, deinde totum scrotum valde intumuit doluitque. Primùm acciti fuere Dom. STAMPLII Medicus clarissimus, & D. REGNIER Chirurgus regius qui me in consilium adhibuerunt vna cum Dom. SOSIAS Chirurgo Parisiensi peritissimo; vbi illum inspeximus, gangrænam in perinæo deprehendimus; vlcus erat cum eschara veluti ab vstione, sinuosum in margines ani peruium quod intacta vesica sectione fuit diductum, è quo pus fœtidum prodiit: perfusio facta fuit ex aqua phagedænica, admoti fuere penicilli, & lintea eadem aqua imbuta, veluti & scroto prætumido: die sequenti gangrænam in scroto serpentem deprehendimus; apertũ fuit scrotum, & membranæ testiculos, sed præsertim sinistrum inuoluentes; liuidæ & γέκρωσιν patientes repertæ sunt; è scroto

effluebat pus in vlcus ſubiectum, fœtor inſignis, lipothymiæ frequentes, & alui fluxus aderant. Ex ſpiritu vini lotiones fuerunt factæ, carnes putridæ reſectæ, cumque ad deterſionem cuncta viderentur tendere, fluctuatio materiæ cuiuſdam in hypogaſtrio circa veſicæ regionem deliteſcẽtis digitis fuit deprehenſa: apertio facta eſt non ſine præuia deliberatione, nec vltra tegumenta quinque externa ſectio penetrauit, qua pus exiit fœtidum pariter, parteſque adjacentes huius labis & corruptelæ non expertes compertæ ſunt: lotione ex ſpiritu vini, & iniectionibus, ex aloë rad. ariſtoloch. fol. abſinth. centaur. min. agrim. decoct. cum melle roſat. putredo inhibita fuit; cumque pus liberum non haberet effluxum traducta eſt acus, ſub illis tegumentis lina ducens vſque ad locum decliuem; deterſis vlceribus omnibus balſamum Arcæi fuit adhibitum; quæ tandem carne repleta ſunt & ad cicatricem fœliciter perducta. Toto morbi decurſu purgatus fuit multoties æger blandis medicamentis, vt rheo, catholico, ſyrup. de chicor. compoſito, præuia initio morbi ſanguinis miſſione ad humorum impetum arcendum; potiones cardiacæ ex confectionibus alkermes, de hyacintho, aquis ſtillatitiis ſcabios. Chicor. paratæ, exhibitæ fuerunt; tantillum vini ad virium refocillationem, quarum exolutionem & defectum, ſæpius in die experiebatur, deguſtauit. Horum auxiliorum Deique ſummo beneficio hic tandem plane conualuit; niſi quod ſcabie per totum corpus erumpente infeſtetur.

Venam

Veram & accuratam descriptionem ἐγχειρήσεως anatomicæ in humano cadauere peractæ, in quo partes omnes internæ abdominis atq; thoracis transpositæ erant, continet.

Observatio XVII.

ETsi huius historiæ anatomicæ facta fuerit mentio à Dom. Mentello in epistola libro Io. Pecqueti adjuncta, atque inter opuscula varia & noua anatomica D. Riolani, paucis expositа, illa reperiatur; eam tamen integram, absolutam, & pro rei veritate descriptam hîc subtexere libuit, qualis à Dom. Antonio Bertrand Chirurgo & anatomico peritissimo, qui sectionem huius cadaueris propriis manibus administrauit, exacte fideliterque conscripta, nobisque communicata fuit.

Cadauer erat sicarij cuiusdam dicti Richardi Francœvr, qui cum nobilem virum in rheda illustrissimi Principis de Beavfort sedentem noctu sclopeto interfeciſſet, supplicio rotæ addictus fuit, anno Dñi 1650. vt notauit Riolanus. Administratio anatomica facta fuit apud Dom. Regnier scholæ Medicæ Parisiensis Doctorem, qui dissectioni in gratiam Chirurgiæ candidatorum factæ præerat.

Narrationis huius series iuxta partium disse-

ctioni ſubjectarum ſitum, proutque in ipſa ſectione oculis ſe ſe produnt, inſtituetur.

Primò in venæ vmbilicalis ſitu, progreſſu, & inſertione immutatio animaduerſa eſt: hæc enim quæ conſueto & à natura inſtituto ordine verſus hypochondrium dextrum tendit, atque in ſciſſuram hepatis dextro illo hypochondrio contenti, inſeritur; aliter hic ſe ſe habebat: ſi quidem hæc vena ex hypochondrio ſiniſtro orta in vmbilicum deſinebat, quo viſo obſtupuit protinus prædictus Chirurgus & anatomicus, qui nunquam talem venæ diſtributionem inſpexerat; licet multoties hepar vſque ad lienem protenſum deprehendiſſet, atque etiam obſeruaſſet aliquando hæc duo viſcera ſibi inuicem adhærentia, & ligamento membranoſo inter ſe connexa, tantamque hepatis magnitudinem vt hypochondrium vtrumque occuparet.

Diuiſo peritonæo majori admiratione captus fuit, dum venæ vmbilicalis progreſſum inſectando, hepar ſub hypochondrio ſiniſtro proſus reconditum, lienis & fundi ventriculi locum occupans animaduertit, cuius pars gibba nothas coſtas ſiniſtri lateris reſpiciebat, parſque hepatis quæ ſecundum naturam verſus ſiniſtrum latus protuberat, in hoc verſus dextrum protendebatur; proinde venæ cauæ truncus aſcendens & deſcendens in partibus ſiniſtris collocatus erat, parte nempe laterali & ſiniſtra vertebrarum dorſi & lumborum ſuperſtratus, qui pro ſolito naturæ inſtituto ſuper prædictarum vertebrarum parte interna, eaque dextra & laterali iacent, ex quo factum eſt neceſſario vt ſitus partium omnium internarum, tam in abdomine quam in thorace

contentarum, immutari atque inuerti debuerit, vt deinceps patebit; cumque hepar sit veluti basis & fundamentum quo cæteræ partes superstructæ videntur, eius sedem, dispositionem, & collocationem necessario sequi coguntur, illo namque transposito fieri non potest quin & cæteræ partes internæ transponantur, si modo legitimus ordo in totius corporis œconomia seruari debeat; alioquin partium confusio, functionum læsio & interturbatio accederent.

Vlterius progrediendo ventriculum in dextris partibus situm inuenit, cuius orificium superius super dextro latere vertebrarum metaphreni collocatum erat, quod insolitum est: nam secundum naturam ad diaphragma accedens, sinistrorsum vergit, eiusque fundus dextrorsum inclinat. In hoc cadauere orificium ventriculi inferius, siue pylorus in latus sinistrum reclinabat, qui solet in partem dextram tendere; propterea lienis, intestini duodeni situm inuersum fore tunc ipsi verisimile visum est; vt postea illud ipsum verissimum comperit.

Fundo ventriculi in oppositam partem reclinato, lienem in hypochondrio dextro collocatum adinuenit, cuius pars gibba nothas costas, sima vero ventriculum pro vt solet respiciebat, cui per vas breue quod trifidum erat, membranasque ordinarias alligabatur: ex quo lienis positu oritur etiam in venæ splenicæ, proindeque totius venæ portæ situ & distributione immutatio atque inuersio: vena enim portæ, quæ naturalem situm in parte dextra obtinet, in sinistra parte erat constituta; & splenica quæ è sinistris esse debebat, erat è dextris partibus.

Ventriculi ſitum immutatum ſequitur identidem ſitus inſtinorum mutatio : cum enim pylorus vt jam dictum eſt ad ſiniſtram partem eſſet propenſus, inteſtinorum principium è partibus ſiniſtris ducebatur, duodenumque in ſiniſtra parte erat collocatum,neque vt ſolet conſtitutum:cum enim ſecundum naturam ſub pancreate ducatur, ſitque, vt conuenientem diſpoſitionem, ſitumque obtineat, obliquum, & in medio reflexum vt quod ſemel egreſſum eſt è ventriculo, in illum regredi & refluere non poſſit : hîc contra ſeſe habebat, ſupra enim pancreas quaſi rectà ferebatur, inteſtinumque ieiunum, cuius initium eſſe ſolet in parte ſiniſtra, hîc in parte dextra erat locatum; ſicque inteſtinorum omnium ſitus erat inuerſus : quæ enim ad dextram partem pertinebant, ſiniſtro loco continebantur; veluti cæcum quod in ſiniſtra parte erat cum appendice ſua, vna cum initio coli,cui in dextra ſecundū naturam ſedes conuenit, & in dextram terminatur:rectum pariter è ſiniſtro latere initium ducere ſolet : è contra in hoc cadauere colon inteſtiuum in dextrum latus deſinebat, rectum vero ab eo latere exordium ſumebat ; proindeque meſocolon in dextra parte ſitum erat, cui pars ſiniſtra dicata eſt ſecundum naturam. Sic vena hæmorrhoidalis quæ è ſplenica vt plurimum, interdumque è meſenterica ſiniſtrorſum oritur, & per coli inteſtini, & recti longitudinem fertur, & ad extremum recti inteſtini deducitur; in hoc cadauere è ſplenica dextrorſum exoriebatur, quo loco lien ſitus erat, dextrorſumque per longitudinem coli & recti extendebatur.

Vtque vena caua deſcendens ſiniſtram verſus

vertebris lumborum incumbebat, quæ in parte dextra reperiri debebat; sic aortæ truncus descendens dextram sedem occupabat, quæ cauæ descendenti trunco naturæ lege debetur; inde factum est vt cæteræ venæ transpositæ fuerint, quod potissimum in vena spermatica dextra cernebatur, quæ ab emulgente dextra emergebat, & spermatica sinistra quæ è trunco venæ cauæ sinistrorsum exiliebat, perturbato scilicet naturæ ordine; spermatica si quidem dextra vt plurimum è venæ cauæ trunco oritur, sinistra vero ex emulgente: dixi vt plurimum quia situ contrario dispositæ interdum reperiuntur. Renum pariter situs erat inuersus: ren enim sinister digiti latitudine sinistro depressior erat, iecore nempe in dextro hypochondrio collocato ipsum deprimente: ren vero dexter erat elatior, liene minorem locum in dextro hypochondrio occupante.

Insuper carnalis quidam conspicuus inuentus fuit in abdomine, è cauis jecoris emergens iuxta venæ portæ exortum, per medium pancreas transiens, & in intestinum duodenum inter duas tunicas desinens, prope meatuum cholidocorum insertionem: is erat substantia neruosa, figura rotunda, pennæ gallinaceæ magnitudinem referens, in cuius cauitatem tubulus introductus fuit, qui hepar ingrediebatur, & inter duas tunicas duodeni perducebatur, hicque canalis plures ramulos in pancreas diffundebat.

Ita dispositis partibus naturalibus in abdomine contentis, fieri non poterat quin partes thoracicæ eundem situm obtinerent, & ad illarum modum flecterentur: iecore enim sinistrum hypochondrium replente, venæ cauæ truncum ascenden-

tem & deſcendentem ad ſiniſtrum latus exporrectum, aortamque in dextro repoſitam eſſe, adeoque pulmonum cordiſque naturalem ſitum mutari neceſſe erat.

Quod conjectura aſſequebatur, id αὐτοψίᾳ veriſſimum comperit Anatomicus: tres enim pulmonum lobi ad dextrum latus pertinentes, ſiniſtro latere, duo vero dextro continebantur. Cordis conus qui ad ſiniſtrum latus paulo inflectitur, baſiſque quæ ad dextrum paululum vergit, contrario modo hic ſe habebant: pericardij enim & cordis mucro latus dextrum, eius vero baſis latus ſiniſtrum reſpiciebat; ſicque quatuor vaſorum cordis ordo etiam immutatus fuit, vt & ventriculorum cordis ſitus inuerſus: qui enim dexter vulgo habetur, in hoc cadauere ſiniſter erat; qui vero ſiniſter, dexter habebatur: ſic aorta in dextro latere erat poſita, oſtiumque venæ cauæ quod in cor dehiſcit, in ſiniſtro adſpectabile erat cum auricula cordis majore: arteria vero venoſa, venaque arterioſa cum minore cordis auricula in dextro conſpiciebantur, Vena ſine pari partem ſiniſtram internamque vertebrarum metaphreni perreptabat, ortumque ſuum ducebat ab initio ſubclauiorum ramorum, octo ramulos emittendo, qui tam ad dextras quam ad ſiniſtras partes deducebantur.

His ita conſtitutis ſequebatur neceſſario neruorum recurrentium ſitum quoque immutatum eſſe: ſolet enim neruus recurrens ſiniſter reflecti circa deſcendentis aortæ incuruationem; dextri vero reflexio circa ſubclauiam dextram veluti circa trochleam perficitur: & ſane contrarium poſitum in hoc cadauere nerui recurrentes obti-

nebant; aortâ enim in dextra parte locatâ, neruus recurrens circa eius incuruationem reflectebatur, in sinistra vero circa subclauiam reducebatur.

Venarum lactearum in glandulosa mesenterij corpora, & receptacula deductarum à Galeno facta delineatio atque descriptio, vna cum lactearum thoracicarum in equo à Bartholomæo Eustachio facta demonstratione.

OBSERVATIO XVIII.

LAudantur & celebrantur sæculi nostri ingenia quorum acie & perspicacia multa abscondita ad rem anatomicam, & praxim medicam spectantia, sedulitate, diligentia, & laboribus incredibilibus è tenebris eruta omniumque oculis exposita sunt; inter quæ præcipuum obtinebit locum venarum lactearum & in fundo mesenterij chyli receptaculorum detectio, & inuestigatio, vna cum ductuum chyliferorum ad thoracem ascendentium in venas subclauias insertione, quibus chylus ad cor deducitur, ibique in sanguinem conuerti contendunt neoterici anatomici: & licet de horum vasorum vsu non vna eademque sit omnium sententia, cum plurima adhuc in corporum anatome sensus nostros effugiant; res tamen

extra omnem controuerſiam videtur iam poſita, cuius quidem indagatoribus Gaſpari nim. Aſellio venarum lactearum inuentori, & Io. Pecqueto vniuerſitatis noſtræ Monſpelienſi Doctori Medico clariſſimo, receptaculorum chyli in fundo meſenterij collocatorum, & venarum lactearum in thorace repertori, laus æterna debetur. Nec dubitaui quin ex aſſidua cadauerum ſectione, & repertorum meditatione impoſterum veram ſanguificationis officinam, de qua tantopere diſceptabatur, partium naturalium & vitalium actionem, humorum motus & legitimos vſus dignoſcere poſſimus. Interim miratus ſum (admonitus prius à nobiliſſimo viro D. Mentel ſcholæ Pariſienſis Doctore Medico doctiſſimo, qui hanc obſeruationem mihi communicauit & authorum loca indicauit) dum legi tum apud Galenum, tum apud Bartholomæum Euſtachium, delineationem quandam & deſcriptionem, licet rudem & imperfectam, venarum harum lactearum, & chyli receptaculorum, atque etiam ductuum chyliferorum aſcendentium; nec propterea de laude & exiſtimatione clariſſimo Pecqueto debitis quidquam detrahendum cenſui; at ſolummodo exiſtimaui omnium bonorum fructuumque quos in ampliſſimo Medicinæ campo excolere & colligere poſſumus, ſeminaria hauriri poſſe ex artis noſtræ antiquis principibus, Hippocrate præſertim & Galeno. Et quemadmodum planta è terræ gremio folia ſua tenella proferens, non tam claram facilemque ſui cognitionem exhibet, quam vbi perfectum ſui incrementum fuerit aſſequuta; ita apud antiquos illos authores, quibus Medicinæ primordia & fundamenta conſtituta fuerunt, non

clare & dilucide anatomicæ illæ obſeruationes exponuntur, ſed ambagibus quibuſdam inuolutæ conſpiciuntur; adeo vt primo intuitu vera illarum facies non facile dignoſcatur; ſed aſſiduum contemplatorem & inſpectorem exigant. Horum igitur penetralia adeamus, & quæ huc vſque fuere abſtruſa recludamus.

Primus locus eſt Galeni libro 4. de vſu part. ſub finẽ quem locum iam notauerat D. Mentelius in epiſtola ad D. Pecquetum. Hæc ſunt Galeni verba πρῶτον μὲν γὰρ παντὶ τῷ μεσεντερίῳ φλέβας ἐποίησεν ἰδίας, ἀναχθμὼς αὐτῷ τῇ δρέψει τῶν ἐντέρων, μὴ θραυθμὼς εἰς τὸ ἧπαρ. ὡς γὰρ καὶ Ηρόφιλος ἔλεγεν, εἰς ἀδενώδη τινὰ σώματα τελευτῶσιν αὗται αἱ φλέβες, τῶν ἄλλων ἁπασῶν ὅτι εἰς πύλας ἀναφερομένων. i. e. primum namq; toti meſenterio venas effecit proprias (ſcil. natura) ipſorum inteſtinorum nutritioni dicatas, haud quaquam ad hepar trajicientes: verum vt & herophilus dicebat in glanduloſa quædam corpora deſinunt hæ venæ; cum cæteræ omnes ſurſum ad portas referantur.

Alter locus eſt initio lib. de diſſectione venarum, cuius hæc ſunt verba εἰσὶ δ' καὶ ἄλλαι φλέβες ἐν τῷ τῶν μικρῶν ἐντέρων μεσεντερίῳ τῷ μέσῳ, θραύεσθαι πρὸς ἀδενώδεις τινὰς ἐνταυθοῖ κεμένας. ἡ δὲ μεγάλης φλεβὸς ἡ ὅτι πύλας, ἧς ἐκβλαστήματά εἰσιν αἱ προσφυμένας πᾶσαι, καὶ ἄλλαι τινὲς ἀποφύονται, τοσαῦται τὸν ἀριθμὸν ὅσοιπερ ἂν ὦσιν οἱ λοβοὶ τοῦ ἥπατος, εἰς ἕκαστον γὰρ αὐτῶν κατασχίζεται μία

i. e. sunt autem & aliæ venæ in tenuiorum intestinorum medio mesenterio, quæ ad glandulas quasdam ea regione positas terminantur, quin etiam ab eadem magna vena quæ ad portas est iecoris, cuius soboles sunt omnes prædictæ, aliæ quoque quædam producuntur iecinoris fibris numero pares, in singulas enim singulæ diuiduntur. Quibus postremis verbis venas lymphaticas designari ait D.Mentelius. Bartholomæus vero Eustachius in opusculis anatomicis cum de vena sine pari agit, confuso quodam modo ductum thoracicum album & lacteum in equorum cadaueribus animaduertit, cuius progressum & distributionem è partibus superioribus ad inferiores persequitur, huius vero insertionem & terminationem se ignorare fatetur. Hæc sunt eius verba quæ leguntur tractatu de vena azygo pag. 301. Quandoque vena sine pari è regione sextæ thoracis vertebræ ramum ad sinistram partem mittit, qui sursum elatus ad quintam eiusdem cum alio à trunco sinistro iuguli orto coniungitur : indeque vsque ad tertium interuallum alimentum præbens conscendit, ad hanc naturæ prouidentiam quandam equorum venam alias pertinere credidi, quæ cum artificij & admirationis plena sit; nec delectatione ac fructu careat, quamuis minimè sit ad thoracem alendum instituta, operæ pretium est vt exponatur. Itaque in illis animantibus ab hoc ipso insigni trunco iuguli, qua posterior sedes radicis venæ internæ iugularis spectat; magna quædam propago germinat, quæ præterquam quod in eius origine ostiolum semicirculare habet, est etiam alba & aquei humoris plena, nec longè ab ortu in

duas partes scinditur, paulo post rursus coëuntes in vnam, quæ multos ramos diffundens iuxta sinistrum vertebrarum latus, penetrato septo transuerso, deorsum ad medium vsque lumborum fertur: quo loco latior effecta, magnamque arteriam circumplexa, obscurissimum finem mihique adhuc non bene perceptum obtinet.

SCHOLIVM.

EX Galeni verbis lib. 4. de vs. part. duo colligi possunt; primo quasdam dari venas quæ ad hepar non producuntur, nec tendunt: Secundo intestina lacteo succo nutriri. Mirum in modum se torquent Galeni interpretes dum verum horum verborum sensum inquirunt, nec tamen illum plane assequuntur. Vesalius lib. 5. anat. cap. 6. Sic ait neque satis assequor quid Galenus sibi velit, quando intestinis ipsique adeo mesenterio venas offerri testatur in iecur non terminatas, aut (vt alij vertunt) ad iecur non trajicientes; nisi forte aliquas venæ cauæ propagines in intestina disseminari iudicauerit: quanquam & illæ in iecur tandem vel ipsius sententia terminarentur, etiam si forsan cremorem ex intestinis jecori non offerrent: at potius intestinis mesenterioque enutriendis priuatim conducerent. Venas enim lacteas à mesentericis distinctas ignorauit ille, admittens venæ portæ propagines in intestina insertas ad mutuam chyli in iecur trajiciendi & sanguinis adnutrienda intestina deducendi mutuam transsumptionem; adeo vt præter commemoratas venas nullæ aliæ in intestina & mesenterium pertinentes ipsi fuisse obuias asserat; licet hic vi-

deatur glandulam magnam meſenterij deſignaſſe, quam non chylo excipiendo; ſed vaſorum diuiſionibus fulciendis deſtinatam eſſe agnoſcit. Caſpar Hofmannus lib. 2. variar. lect. cap. 19. textum hunc corruptum eſſe aſſerit, non intelligens quomodo natura ad nutritionem meſenterij, inteſtinorumque, fecerit venas quaſdam peculiares, & quomodo dentur venę quæ ad hepar non perueniant; quando quidem hepar omnium venarum fons eſt & origo: tot ſunt abſurda inquit in vna hac oratione quæ commiſiſſe Gal. in tantillo tractu credat Iudæus apella, non ego. Damnatq; ibid. veſalium qui dum hunc locum adducit lib. iam citat. Galenum deduxiſſe has peculiares venas à vena caua aſſerit, quomodo, inquit, auena caua cũ expreſsè dicat μὴ διαῤῥαγῆναι εἰς τὸ ἧπαρ. Item com. in hunc locum ſic ait. Vidit forte herophilus (ex huius .n. ſententia loquitur Gal.) tale quid quale fallopius in ſuis obſeruationibus cum ait aliquando ramos ex portæ trunco ſurſum ire ad diaphragma, atq; inde iterũ deſcendere ad pancreas: at quia Herophilus ad hepar deſinere non viderat, quod vidit fallopius, credidit id Galenus, & in omnibus ita eſſe aſſeruit. Nec minoribus ambagibus inuoluuntur & ducuntur neoterici anatomici, quorũ multi aſſerunt venas lacteas ad hepar nullo modo pertingere, nec vllam illarum propaginem illuc deductam deprehendi potuiſſe: alij vero quatuor canales lacteos ad hepar extenſos, & præterea alios in pancreas & venam cauam obſeruauerunt. Hanc controuerſiam anatomicam ratio ex partium œconomia deprompta decernere poteſt: nec credendum eſt omnes vias per quas humores feruntur, ab anatomicis deprehẽdi potuiſſe,

Si venarum emulgentium (inquit Bartholomæus Euſtachius de rerum adminiſtratione agens p.132. opuſcul. anat.) cum ramis illius quæ azygos dicitur, coniunctionem nouiſſet Galenus, pariterque propaginem interdum venæ portæ vniri cum venis ſepti obſeruaſſet, veram etiam viam cognouiſſet, qua pulmo & thorax expurgari per renes & inteſtina poſſint. Sufficit ſi communionis venæ portæ cum caua extra hepar, vt de illa non amplius ambigamus, notitia quædam habeatur, ſufficit ductus quoſdam chyliferos ad hepar pertingentes notauiſſe, vt de traductione chyli ad illud non amplius dubitemus, pluresque alios dari canaliculos non adhuc deprehenſos per quos ille feratur, conjiciamus. Nonne Thomas Bartholinus cap. 15. tractatu de venis lacteis thoracicis admittit venas lacteas hepar ingredientes, & in orbe piſce harum venarum in hepatis tertium lobum minorem inſertionem oſtendit, quem lacteus candiduſque ramus ſatis magnus ingrediebatur, ex glandula haud procul locata, lacteoque humore turgida; ad quam pleræque lacteæ ex meſenterio, & appendicibus ventriculi commeabant; licet ipſe deinceps palinodiam cecinerit cap. 3. hiſtoriæ nouæ anat. vaſorum lymphaticorum, & cum ſententia earum venarum nomen mutauerit, dixeritque eſſe vaſa aquoſa ſeu Lymphatica nihil niſi limpidam aquam continentia, & certe non video quomodo canalis ille inſignis lacteus in orbe piſce repertus dicatur Lymphaticus, cum aquam limpidam non contineret, vt & alij ductus ad hepar tendentes qui lymphatici viſi ſunt, eò quod chyli aquoſiorem & tenuiorem partem deferrent, & forſan

quod pars chyloſa & nutritia attracta fuerit ab hepate, ſecreta & relictâ aquoſiori ad nutritionem inutili, eaque in iſtis venulis redundante.

Nathanaël Higmorus lib. 1. part. 2. diſquiſition. anatom. corporis humani pag. 40. Sic de venis lacteis loquitur. Aſellius duos tantum vidit ramos, ego plures perluſtraui quia pancreate ad hepar per portæ latera excurrunt, eoſque poſt mortem etiam facilè monſtrare poſſum, & pag. 39. Sic earum diuaricationem & progreſſum deſcribit ab inteſtinis per meſenterium obliquo ductu inter duas eius tunicas, partim ſeorſim à vaſis reliquis, partim vna cum illis modo rectò ductu, modo eadem tranſcendentes & veluti decuſſantes per plures glandulas in pancreas vſque perferuntur; in pancreas varie cancellorum in modum vel capreolorum implexæ, ſibi mutuo confuſæ in plurimos eoſque in extricabiles gyros anfractuſque hac illac intorquentur. Ab eo rurſum majoribus paulo ſurculis per portæ latera vndiquaque, quam quibuſdam in locis annuli inſtar cingunt, in jecoris cauam ſubeunt: inde illatæ in hepatis parenchyma ibi quaquauerſum diſſeminantur dum prorſus obliterentur. Atque eiuſmodi venas lacteas antiquis non prorſus fuiſſe ignotas idem oſtendit pag. 38. & Galeni atque falloppij teſtimonia profert. Galeni verba hæc ſunt lib. an ſanguis in arteriis contineatur. Si ventrem imum & interiorem membranam diuiſerimus, arterias in meſenterio conſpiciemus, in hoëdis nuper natis lacte refertas, in adultis autem animalibus, alterius cuiuſdam rei plenas. Arterias inquit Higmorus forſan à gracilitate, quas in nuper natis à lacte quod exuxerant, impleri cenſuit, miror vero

dum falloppium in hanc ſententiam trahit inuitum eius verba aliquatenus immutando: ita enim illa falloppij verba tranſcribit, ex obſeruat. 3. de venis pag. 597. prioris edit. In ſima hepatis parte ſunt meatus quidam minimi, qui deſinunt & terminantur in pancreas, & in glandulas ibi proximas, qui minimi meatus ſuccum quendam oleaginoſum, album, & ad aliquam amaritudinem tendentem, deferunt: notandum eſt legi apud falloppium ſuccum quendam oleaginoſum flauum, *non album*. Ita vt & colore & ſapore hic ſuccus bilis naturam redoleat, non vero chyli qui albus, dulcis, & ſuauis exiſtit.

Dantur equidem canales lactei qui recta ad hepar non tendunt vt ſunt illi qui in meſenterij glandulam magnam, & receptacula chyli feruntur, & duo illi Pecquetiani ad thoracem aſcendentes, adeo vt mirum videatur illud à multis ſæculis notauiſſe, Herophilum & cum illo Galenum: ſed propterea minimè credendum eſt nullam chyli partem ad hepar deriuari, vel totum ad cor transferri per ductus duos exiguos ad pennæ anſerinæ magnitudinem vix accedentes: quomodo in guloſis & helluonibus hi ductus ad vehendum chylum ſufficient, ſuccorumque multitudine & craſſitie non obſtruentur, cum venis lacteis & meſaraïcis copioſioribus id vitium ſæpius contingat, & nimium repleti diſrumpantur, cum ſint ipſi molles & ruptioni paratiſſimi vt ipſimet qui totum chylum ad cor deferri contendunt ingenue fatentur & quænam proportio erit (quæ inter omnes corporis noſtri partes reperiri ſolet) inter duos illos ductus qui chyli ſunt alucaria, & aortam venamque cauam ſanguinis è chylo confecti

promptuaria : nonne ampliores eſſe deberent illi canales ſi ſoli chylum veherent; cum chylus ex cibis ingeſtis quotidie productus ſanguinem de nouo generatum quantitate ſuperet, & coctione ſemper materia quælibet & paucior, & tenuior propter partium heterogenearum ſecretionem reddatur, eſt inquit Gal. 3. de fac. nat. omnium quæ in corpore ſunt leuiſſimum tenuiſſimumque ſpiritus, ſecundo loco halitus, tertio gradu qui plane abſolutus attenuatuſque eſt ſanguis. Nec dicendum eſt maius ſpacium occupare ſanguinem attenuatum & rarefactum citum enim & liberum per venas & arterias habet cõmeatum atque transfluxum adeo vt patentioribus viis non indigeat quibus contineatur ; veluti ſpirituum animalium inductione patet qui per vlteriorem elaborationem in cerebro attenuati, alueos per quos celerrime transfunduntur non amplificant. Nec etiam dicendum eſt chylum continuo per venas thoracicas aſcendere & ſucceſſiue cordis ventriculum dextrum ſubire, adeo vt meatus exilitas, chyli fluxus continuitate compenſetur; alioquin ſi per amplum meatum in cor delaberetur ne ipſum obrueret & ſuffocaret periculum eſſet : falſum enim eſt continuo motu tranſire chylum per venas thoracicas: ſiquidem non tam cito euaneſcerent poſt chyli diſtributionem imo continuò albicantes et chylo turgidæ conſpici poſſent ; cuius contrarium experientia teſtatur ; quod ſi non ſit chyli per venas thoracicas continuus & perennis tranſitus , totus per illas haud quidem traduci poterit ; cum eius ad cor integra delatio per canalem exiguum tam breui temporis ſpacio perfici non poſſit.

Quod

Quod si nihilominus toti chylo ad cor non denegetur aditus, quomodo stare poterit altera eorumdem sententia, sanguinem scilicet ad cor redire, vt de nouo excoquatur, vlterioremque perfectionem obtineat; cum potius ibidem chylo non adhuc defæcato & à recrementis purgato admixtus sanguis deteriorem sortem nanciscereretur : quod pharmacopœorum exemplo illustrari poterit, qui Sacchari vel Syrupi decocturam succi vel liquoris cuiusdam affusione sæpe imminuunt : quibus adde si ex chylo in corde sanguis conficeretur, & nonnisi in hepate, liene & renibus defæcandus & repurgandus esset, sequeretur trassiorem, fæculentiorem, impuriorem & crudiorem in corde & arteriis contineri quam in venis, quod falsum est & absurdum.

Si quæras cui officio, & quibus vsibus dicatæ sint venæ lacteæ & canales lactei thoracici. Audi Galenum hoc loco docentem nutriendis intestinis illas venas esse comparatas (quod de illis tantum venis intelligendum videtur quæ ad hepar non pertingunt) chylumque horum esse alimentum. Sic lib. 3. de fac. nat. ventriculum eo succo verè nutriri statuit, aitque nihil esse in rerum natura, quod propter ipsum trahere trahat, sed vt tracto fruatur; atqui eo frui non licet nisi retineat, vt eius quod in qualitate conueniens consentiensque est partem aliquam capiat : itaque (inquit) quod in cibis optimum est, id halitus specie & paulatim sibi attrahit, atque in tunicis suis reponit; iisdemque adiungit; vbi abunde saturatus est quidquid reliquum est nutrimenti, veluti onerosum quid, rejicit. Deinde ait si cibis

conficiendis ſe applicaret ventriculus vt reliquis partibus alendis idoneos redderet, non eſſet organum naturale, ſed animal quod ratione menteque præditum, quod melius eſt eligeret: atque ibidem totam alimenti œconomiam in tria tempora diuidit; primum tempus eſt dum in ventriculo manet cibus; ſecundum dum tranſit chylus per inteſtina & hepar; tertium dum ab hepate diſtribuitur reliquis partibus; atque in primo tempore quidem fieri tractionem & appoſitionem vult ſucci alibilis ex cibis in ventriculo, reliquas vero pręparationes in aliis temporibus iſtius œconomiæ, agglutinationem quidem in ſecundo tempore, aſſimilationem vero & perfectam nutritionem ex eodem ſucco in tertio; quod idem de inteſtinis & meſenterio per quæ tranſit chylus aſſerendum eſt, quod patet ex eius verbis. Hoc in tempore nutrimentum cum per tota inteſtina permeet, per vaſa quæ ad ea pertinent rapitur, plurimum quidem in venas, exigua quædam portio in arterias: iam hoc tempore etiam inteſtinorum tunicis apponitur: & com. in aph. 18. ſect. 2. ita ſcribit: In commentario de potentiis naturalibus oſtendebatur ventriculum ante omnia cibis frui, familiarem ſibi ſuccum ex illis attrahere, & ſuis apponere tunicis; mox vbi eſſet ſaturatus, tunc ipſos emittere ad excretionem; propterea quotidie experimur aſſumpto cibo famem ſedari, quia eo ſe ſe expleuit ventriculus, & quantum venæ ei detraxerant ſibi repoſuit, & quia præterea non amplius ab eo tanquam è terra fugunt vicinæ partes, quæ præſentiunt alimentum ad quod ſe conuertunt, & à quo ſibi familiarem ſuc-

cum alliciant vt docet Galen. lib. 1. de Sympt. cauſ.

Quod ſi ad inteſtinorum & meſenterij (addimus nos & pancreatis) nutricatum venas illas ad hepar non pertingentes deſtinatas eſſe voluerit Galenus; quidni etiã dicemus partibus quibuſdam in thorace contentis alimentum proprium & familiare euehere canales iſtos aſcendentes chyliferos.

Conjicit Riolanus in reſponſione ad Carolum Le Noble, Medicum Rothomagenſem, exiguam illam portionem chyli cordi illiqui ad reparandum illum adipem durum ſeuo ſimillimum cordi circumfuſum, qui permixtus ſanguini per venas coronarias ſpargitur in cordis ſuperficiem; forſan etiam, inquit, ipſius cordis ſubſtantiam duram carneam nutrit quæ tale requirit alimentum; & antea in reſponſione ad experimenta noua anatomica ſcripſerat iſtas venas duas lacteas ita conditas forſan vt ſanguini violenter fluenti intra arterias, per circulationem in venis craſſities addatur, partim etiam ad nutritionem diuerſarum partium corporis, quæ diuerſo gaudent alimento vt oſſa & medulla, partim ad generationem & reparationem adipis per vniuerſum corpus extenſi, partim etiam ad fibroſæ materiæ productionem in ſanguine, quæ remoram addit ſanguini.

Franciſcus Gliſſonius in anatomia hepatis pag. 443. exiſtimat ſuccum nutritium in meſenterij hiſce glandulis ſeparari, atque huius in neruos partem aliquam ad eorum nutricatum transferri, treſque glandes lumbares neruis ſimiliter inſeruire credit: Thymus quoque huic videtur eſſe glandula nutritia: nam in embryonibus atque anima-

libus recens natis (quo tempore plurimum creſcunt, & nutricatu propterea vberiore indigent) magnitudine præ cæteris totius corporis glandibus ſpectabilis eſt; in ſenibus vero quibus alimento huiuſmodi parum opus eſt perexigua deprehenditur, & vix conſpicabilis: deinde glans hæc eſt candida, mollis, ſuauis admodum, mitiſque ſaporis, & ſubſtantia mammarum glandibus ſimilis, ac propterea quemadmodum iſtæ lac infantulo foris præparant, ſic illa liquorem nutritium intus ſuppeditauerit, eumque forſitan è ductu lacteo thoracico exceperit, qui glandulæ huic appropinquans, priuſquam in venas exinanitur, in duas plerumque propagines dirimitur.

Sed quid dicemus de chylo in dextro cordis ventriculo reperto, quo preſſo in venam cauam refluens aliquando apparuit. An in corde excoquendum illum, & in ſanguinem permutandum, illud plane euincit? Sed nonne ad hanc elaborationem quiete potius atque mora, quam motu & momentanea trajectione opus eſſet, quo modo coctiones reliquæ fœlicius peraguntur? an potius ſuccus hic albus, tenuis, liquidus, dulcis in pulmones per venam arterioſam vna cum ſanguine è dextro cordis ſinu deferendus videtur? nonne aptius nutrimentum eſſet & familiarius ipſis pulmonibus ille ſuccus ſanguini permixtus, quam bilioſus ſanguis qui vulgo eorum alimentum ſtatuitur, cuius quidem ne deguſtatus pulmo notam vllam exhibet; imo dulcis qualis eſt lacteus ſuccus comperitur. Deinde albicans pulmonis ſubſtantia nonne illud idem indicat; iiſdem enim quibus conſtat pars quælibet nutriri ſolet, inde fit vt in

fœtu qui ore alimentum non exugit, sed sanguine solo materno per venam vmbilicalem delato nutritur, pulmones, vt & cæteræ partes, rubri conspiciantur, qui color deinde in lactantibus pueris ad albedinem vergit. Tandem nonne satius videtur prouidam naturam nutriendo pulmoni dulcem, temperatum & lacteum succum suppeditasse, quam acrem, salsum, & calidissimum; cum per eius continuũ motum, & cordis æstuantis viciniam ad calorem concipiendum satis superque promptus, paratusque fit? nonne lac quotidie alimentum & medicamentum affectis pulmonibus conuenientissimum & veluti à natura institutum experimur, cui affinis est chylus? nonne tenuis illa pituita quæ tussi solet rejici, liquidi illius succi crudior & aquosior portio est, quam natura secernit & expellit, & forsan sanguinis è pulmone rejecti color non ita saturatus & ater; sed floridus apparet ob admixtionem candidæ illius substantiæ.

Probabile est insuper huius ductus chyliferi quasdam propagines ad mammarum glanduloſa corpora deferri, vel venis ad ipsa tendentibus occurrere, quibus chylosa materia & tenuis sanguini admixta & generando lacti idonea suppeditatur; inde fit forsan quod multæ mulieres fœtus suos lactantes in pulmonum vitia & tabem tam facilè & frequenter incurrant, substracta nempe pulmonum alibili materia; hinc lacti vis purgans medicamenti, paucis horis ab illo assumpto, communicatur, delata scilicet eius portione per tubulos lacteos ad mammas; quod non tam breui temporis spacio fieri posset si tot flexuosos hepatis

& venæ cauæ meatus ſubſtantia virtuſque medicamenti ſubirent. Hanc de lactis generatione ſententiam ſequutus eſt Guiffartus Medicus Rothomagenſis, eamque amplexus eſt Thomas Bartholinus, multiſque rationibus probauit cap. 18. Hiſtor. anat. de lacteis thoracicis. Atque ante ipſos Proſper Martianus & Veſlingius hanc lactis generationem diuerſa tamen quadam ratione propoſuerant; communicatione nempe ſucci illius facta è ventriculo ad mammas per euaporationem.

Quæ noſtra ſententia de vſu lactearum venarum thoracicarum ſi quibuſdam viris doctis non arrideat, ad probabilioris & certioris cuiuſdam vſus inueſtigationem erit incitamentum, & certè in re tam difficili & abſtruſa certi quidquam pronuntiare non audeo, donec ſcrutinio anatomico multa quæ procul dubio latent adhuc, comperta ſint: conjecturas tantum meas propoſui in quas iurare neminem addictum volo. Poſſem alias inſuper addere niſi res tanti eſſet momenti vt peculiarem tractatum exigeret, quem, ſi per otium ingeniique modulum liceat, aliquando aggrediar, atque vnà verum naturalemque ſanguinis motum perſequar.

Interim hic quædam addam de nobili illa valuula Rothomagi nouiſſime reperta in venæ cauæ trunco aſcendenti, iuxta venæ coronariæ exortum ſita, eo ſcilicet fine conſtructa ne ſanguinis ſecundum venæ cauæ ductum elati, & chyli è ſuperioribus partibus deſcendentis fiat confuſio, atque per vehementes humorum agitationes illius in venam cauam effuſi fiat retroceſſus ad hepar?

Nouum sane hoc inuentum cui tam nobilis vsus tribuitur, à multis celebrabitur: sed caueant prudentiores, ne res nouas auidius excipientes, incerta, aut saltem rara pro veris & ordinariis nobis obtrudant: sicut enim corporum structura non in omnibus eadem reperitur, & venarum in quolibet corpore variat sæpius distributio: ita & valuûlarum situs poterit esse diuersus, nec firma & perpetua eius valuulæ nobilis dictæ à D. Guiffarto in epistola gallice nuper edita, in prædicto loco statio erit. Et reuera iam constat in cadauerum sectione Lutetiæ administrata, licet exactè & diligenter hæc valuula fuerit conquisita, nullo modo hanc fuisse repertam.

Ecquid denique dicendum de cadauere Matthiæ Ortelij mercatoris Antuerpiensis sine hepate & liene inuento? cuius Historiam describit Caspar Bauhinus in appendice tractatui de partu Cæsareo Fr. Rosseti adjecta pag. 238. Aliquot annis (inquit) antea hydrope laborauerat, qui morbus affectus hepatis vel primario vel secundario necessario comitatur, cumque sub septo transuerso hepar & lienem quæreremus, ne vestigium quidem illarum partium inuenimus: casus profecto inauditus & admirabilis: at substantia omnium intestinorum carnosa prorsus erat, & multo solidior quam ipsa musculorum caro, vt soliditate cordis carni fere responderet, & vena caua ex ipsis intestinis suam originem sumebat, eo fere modo quo vena porta in ipsis intestinis solet implantari: Ex hac si quidem historia videtur colligi posse hepate vel liene non opus esse ad sanguinis elaborationem, nec illa viscera esse αἱματοποιητικὰ.

At nonne idem de corde dici potest cum historiis quibusdam relatum sit aliquos sine corde post mortem repertos fuisse. Apud Plin. lib. 11. hist. c. 37. Cæsari dictatori, quo die primum veste purpurea processit, vtque in sella aurea sedit, sacrificanti bis in extis cor defuit. Si fides Tilesio adhibeatur, visus est qui absque corde vixit. Et apud Schenkium obseruatione tertia de corde hæc leguntur. Ni mendum exemplarium est, hoc carens viscere (puta corde) compertum quandoque pronuntiat Auicenna: quod ex Cœl. Rhodigino lib. 4. cap. 16. desumpsit: nec locum habet quod profert Riolanus nimirum dum hoc viscus deesse videtur in cadauerum sectione, morbo fuisse consumptam illius substantiam, remanentibus tantum partibus membranosis, quod in tabe cordis contingit. Idem enim dum quærit cur cor comburi aliquando non potuerit, fatetur illud esse in corpore postremum quod comburitur; hancque rationem subiungit: quia cor cum sit pulmonibus obuolutum, capsula inclusum, aquæ immersum, & per adustionem totius corporis, sanguis ad cor veluti centrum repellatur, forsan tardius crematur. Cum ergo cor tantopere adustioni & consumptioni resistat, prius cæteræ partes, quam illud ipsum absumerentur & colliquarentur; præsertim cum eius substantia durior & solidior existat.

Cum autem talis conformatio & dispositio partium nutritiarum in cadauere Ortelij, forsan ab ipsa natura aberrante instituta fuerit, homo diu viuere non potuit (quemadmodum & ille polonus cuius cor solidum & absque ventriculis repertum est) cum αἷμα ἡμίπεπτον ipsi cordi &

reliquis partibus ſuppeditaretur : in inteſtinis enim ſolito denſioribus, craſſioribus, & carnoſioribus, chylus ſanguinis quædam rudimenta accipiebat, qui in venis deinde (quibus facultas αἱματοποιητικὴ non denegatur) inſuper excoquebatur, tandemq; in corde vlteriorē perfectionem aſſequebatur talē nim. qualem in corpore manco & imperfecto compleri poſſe, ſperandum eſt; hinc factum vt ἀποτυχία τοῦ τῆς αἱματώσεως ἔργου ſucceſſerit, deficiente ſcilicet primario & præcipuo ſanguinis δημιουργῷ· proinde Ariſtoteles cordis & jecoris parem neceſſitatem animaduertit lib. 3. de gener. anim. cap. 7. his verbis καρδία μὲν οὖν καὶ ἧπαρ ἅπασιν ἀναγκαῖα τοῖς ζώοις· ἡ μὲν διὰ τὴν θερμότητος ἀρχήν. (δεῖ γὰρ εἶναί τινα οἷον ἑστίαν ἐν ᾗ κεῖσθαι τὴν φύσεως τὸ ζωπυρουμένη καὶ τοῦτο εὐφύλακτον, ὥσπερ ἀκρόπολις οὖσα τοῦ σώματος) τὸ δ' ἧπαρ τὴν πέψεως χάριν. τὰ δ' ἔναιμα δεῖται δυοῖν τούτοιν· διόπερ ἔχει πάντα τὰ ἔναιμα δύο σπλάγχνα ταῦτα μόνον. i. e. Certè igitur cor & hepar omnibus animalibus neceſſaria ſunt : alterum propter caloris originem (oportet enim adeſſe veluti quendam focum in quo naturæ fomes collocetur iſque bene cuſtoditus, ac ſi corporis arx eſſet) alterum nim. iecur cibi concoquendi gratia adeſt, & certè ſanguine prædita his duobus indigent, quamobrem cuncta animalia ſanguinea hæc duo viſcera habent, & lib. 4. de gener. anim. cap. 4. ſic habet καρδίαν μὲν οὖν οὐδὲν πώποτε ἐγε-

κετο ζῶον μὴ ἔχον, σπλῆνα δ' οὐκ ἔχον, καὶ δύο ἔχον, καὶ νέφρον ἕνα. ἧπαρ ὃ οὐκ ἔχον μηδὲ ὅλως, οὐκ ὅλον δὲ ἔχον. i. e. nullum vnquam animal cor non habens ortum eſt, quanquam liene carens : & duplicem habens lienem & altero vacans rene viſum eſt. Iecore etiam carens toto nullum notatum eſt : quanquam quod non totum haberet iam patuit, vt tranſtulit Gaza.

Infans monſtroſus abſque pene & veſica, cum carne quadam fungoſa hypogaſtrio adnata, nuperrime Lutetiæ natus.

OBSERVATIO XIX.

DIe 13. Iunij huiuſce anni 1656. hora poſt meridiem ſecunda, vxor Iohannis SASSIN Sartoris genuit infantem monſtroſum, ad cuius inſpectionem ſtatim accerſitus fui, hoc viſo ad patrem retuli hunc fœtum vitalem non fore, ipſumque hortatus ſum vt eo extincto cadaueris ſectionem permitteret, quod lubens mihi conceſſit. Hic ſeptem dies à partu gemebundus vixit, infortunatamq; ſeptima die vitam cum morte commutauit.

Sectio igitur cadaueris me præſente & inſtigante facta fuit à D. ROVSSEAV Chirurgo coram D. du PRAT Medico Regio. D. LYSSAN Pharmacopæo Regio multiſque aliis.

Huius corporis partes omnes decenti ſtructura

& conformatione donatæ fuissent, nisi naturæ insignis aberratio in partibus hypogastrij fuisset conspicua. Atque vt ab inferioribus partibus exordium ducam, scrotum parum ab ano distabat, ipsique erat fere contiguum : in hoc duo testiculi continebantur, in quos venæ spermaticæ pro more inserebantur. Supra scrotum apparebat carnea quædam substantia, cuticula, cute, & veluti membrana quadam carnosa prædita, quæ speciem præ se ferre videbatur penis secundum longitudinem per medium secti, nullum vrethræ huic inerat vestigium, radix istius particulæ dura erat, solida, & fere cartilaginea. In hanc radicem desinebant vasa eiaculantia. Paulo supra hoc penis fragmentum fissura quædam semicircularis secundum latitudinem imi ventris apparebat, cuius sciſſuræ cornua, seu extrema paululum ascendebant. In medio huius semicirculi posita erat fungosa & carnea quædam substantia ad oui magnitudinem extra protuberans, initio ortus rubra, deinde liuida facta, quodammodo rotunda, eminentiis quibusdam rotundis, rubris, & per seriem dispositis insignita.

Vreteres non in vesicam, quæ nulla erat sed in sciſſuram illam terminabantur, atque vtrimque per eorum orificia vrina continuo & guttatim stillabat atque effluebat, ourachus ad membranam quandam sub illa carne fungosa positam perueniebat. Supra illam excrescentiam situs erat vmbilicus ex quatuor vasis solitis compositus; sed in inferiori quam par erat, loco constitutus; trium enim digitorum latitudine solito depressior erat.

In hoc corpore (quod notatu dignissimum fuit)

veſica vrinaria prorſus deerat, cuius loco moles illa carnea extra protuberans producta fuit.

Dum viuebat lacque è mammis ſugebat infans, flacceſcebat paulatim caro hæc fungoſa, tandemque computruit, quæ putredo procul dubio mortem accelerauit. Hoc prætereundum non videtur quod obſeruauimus, nempe aquam pericardij cochleari exceptam & igni ſuperpoſitam in gluten euadere atque redigi.

Infans monſtroſa cum duplici veſica vrinaria, recto inteſtino, atq; vtero extra locum naturalem ſitis.

Observatio XX.

Ad me retulit prædictus D. Rovsseav ſe vocatum fuiſſe ad apertionem cadaueris cujuſdam infantis, quæ quindecim dies à partu vixerat, in cuius ſectione multa extra naturæ ordinem conſtituta animaduertit: duæ enim veſicæ in hypogaſtrio è regione diſpoſitæ continebantur, à ſe inuicem digiti fere latitudine diſſitæ, in quarum vnamquamque vnus ex vreteribus, è directo inſerebatur. Vterus inteſtini locum occupabat. Rectum vero ſupra poſitum erat, & veſicæ locum obtinuerat, vmbilicus inferior erat quam ſecundum naturam deceat: atque adeò vterus, binæ veſicæ & inteſtinum rectum tam exiguo ſpacio continebantur, vt pecuniæ noſtræ quæ vulgo dicitur, *vn quart d'Eſcu*, amplitudinem non excederet.

P. BORELLVS, LECTORI circa mobile perpetuum.

CVm supereſſet pagella vacua, bonum eſſe duximus ſi tibi arcanum mobilis perpetui communicaremus. Sic autem fieri poteſt & iam factum fuit. Perfora arcam ſubtus, vt & lacunar quod tamen non percipietur ob arcam clauſam, per illa autem foramina aër cum impetu ventoſo ingredietur & vias ad exitum quærẽs, foramen in arcæ operculo facies, cui impones ſphærulam vel aliam quamlibet machinulam motu facilem vel ei alulas ex tela vt in molendinis appone quas arcæ includes, & ſic omnes mirabuntur motum tuum perpetuum cauſam ignorantes & ſphæram cum axe tantum videntes talis forſan fuit ſphæra illa vitræa archimedis adeò decantata.

FINIS.

Non potuit Author febre correptus repurgandis præli erroribus vacare quos beneuolus Lector ſic emendabit.

IN Epiſt. ad Borellum, pag. 2. lin. 10. an. mundi 4753. corr 3540. lin. 11. 439. lege 465. p. 12. l. 22. λιθων, lege λίθων. lin. 13. ῥητεον, lege ῥητέον. p. 19. l. 10. κοιλίων, lege κοιλιῶν. p. 20. l. 27. aſſerunt, lege aſſerit. p. 22. l. 4. ſuperuexiſſe, lege ſuperuexiſſe. p. 25. lin. 8. pro ἔλκογα, lege ἕκχρογα. p. 28. l. 23. δέκτικον, lege δεκτικόν. p. 31 l. 4. ante vlt. ἄφονοι, leg. ἄφωνοι. p. 32. l. 3. σειδῆ, leg. σειδῆ. ibid. πονέση, leg. πνεύσῃ. l. 4. ἀφόνον, leg. ἄφωνον. l. 5. ὁεῶν,

l. ὁρᾷν. lin. 6. σειδῆ, l. σειδῇ. l. 7. ὑπὸ πνὸς. l. ὑποπνόος. p. 38. l. 16. contulerit, l. contulit. lin. 20. οἰδήσοντος, l. οἰδήσαντος. p. 41. l. 2. Ιπποκρατὴς, leg. Ἱπποκράτης. l. 4. ἢ leg. ἦ. lin. 5. εμμιλωον, leg. ἔμμιλων. p. 52. l. 2. inſtinorum, leg. inteſtinorum. p. 53. l. 14. ſiniſtro, leg. dextro. l. 19. carnalis, leg. canalis. p. 54. l. 5. ἀυτοψία, leg. ἀυτοψίᾳ. p. 57. l. vlt. ἔχασον, lege ἔχασεν. p. 59. l. 16. Sic ait neque, corr. ſic ait: Neque.

Prætermiſſa.

Pag. 41. l. 23. poſt illa verba; vt ex Dureto diſcere poſſumus comm. in illam coacam, adde; Τὰ ἐν τόκου καὶ διαφθορῆς πολλὰ ὀξέως ὁρμήσαντα, ἐπίσαγτα, δύσκολα.